DISSERTATIO JURIDICA DE VARIIS POTESTATIBUS ROMANI ET GERMANICI...

Heinrich Hahn, Jakob Andreas Crusius, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

A. D. T. O. M.

THESIS I.

POteſtas in genere dici poteſt agendi aut non agendi facultas, *Δύναμις, Ariſtotel, 2. Ethic. 4. & 1. magn. moral. c. 11. & 12.* Eſtque ex potiſſimis principijs humanarum actionum; nam ſine potentiâ nihil poteſt in actum deduci, ut ſine voluntate nihil poteſt perfici. *Vid. c. 23. de offic. & poteſt. judic. deleg. l. multum intereſt in fine C. ſi quis alt. vel ſibi. l. 53. D. de furt. l. 26. C. de jur. dot. Didac. Covarr. in C. cum eſſes 10. n. 7. de teſtam. Alex. Raud. de analog. & æquivoc. lib. 1. cap. 34. n. 36. & ſeqq.* Differt à voluntate, quoniam interdum id quod poſſum, nolo, aliquando id quod volo, non poſſum. Fontes ejus duo ſunt, natura & lex; qui enim agit, facultatem agendi habet vel naturâ vel legis permiſſu, ſive illa lex ſit gentium, ſive civilis.

II. Inde Poteſtas alia naturalis eſt, alia civilis: alia in perſonam, alia in res, circa profana: quædã libera, quædam reſtricta: alia privata, alia publica, circa ſacra, *Ariſtot. 3. Polit. 1.* & illa triplex poteſtas mariti in uxorem, patris in liberos, domini in ſervos & res ſuas, *Ariſtotel. 8. Ethic. 11. 1. Politic. 3. & ult. 1. OEconom. ult. l. 215. D. de V. S.*

III. Publica quoque ſeu politica poteſtas alia abſoluta & libera exiſtit, alia inferior, reſtricta, ſeu determinata eſt, *Ariſtotel. 3. Politic. 1.* Hæcque juxta optimos fines civilis ſocietatis, vel in indigentiâ, & eo quod deeſt Reipublicæ ſupplendo, circa commercia occupatur, vel in tranquillitate, pace & bello ſervanda, vel

 deni-

denique ut juſtè quoque in Republicâ vivatur. Omnes na nque quibus facultas circa hujuſmodi res data, habere poteſtatem determinatam indubium eſt. Quæ verò nonnunquam venit nomine Magiſtratus *L. 1. D. Quod quisque jur. l. 3. D. ad L. Iul. Majeſt.* & cùm honore, interdum absque illo, & ex objecto plerunque aut gradu excellentiori, vel remiſſiori denominari ſolet *l. 26. D. ad municipal.* quandoque ſimpliciter dicitur Poteſtas *d. l. 1. & l. 3. D. Quod quisque jur. junct. l. 6. §. 3. D. de Tutel. l. 1 §. 6. D. de poſtul.*

IV. Hinc verbum poteſtatis in perſonâ magiſtratus deſignat imperium, inquit nobiliſſimus ICtus Paulus *in l. 215. D. de V. S.* adde *l. 1. D. ad L. Iul. Majeſt. Gœddæus ad dict. l. 215. D. de V. S.* Sane ſi de ſummo principe accipitur, ſæpiſſime pro universâ principis ditione ponitur, ut in *L. cum ratio 7. D. de bon. damnator.* quinimo non raro ipſa majeſtas appellatione poteſtatis venit. Ita Ariſtoteles majeſtatem quandoque per poteſtatem definit *3. Polit. cap. 6.* τὸ πολίτευμα, ait, τῆς πόλεως πανταχοῦ κύριος. h. e. Majeſtas eſt in civitate ubique ſumma poteſtas. Idem *cap. 7.* πολίτευμα ἐστὶ τῆς πόλεως κύριον. h. e. Majeſtas eſt civitatis ſumma poteſtas. Quod ſi ad reliquos magiſtratus vocem poteſtatis referamus, nullum dubium, quin ſumatur pro publicâ magiſtratus coercendi, decernendi, jubendique facultate. Quin ipſe ICtus Vlpianus in *l. 3. de jurisdict.* Merum imperium definit, habere gladij poteſtatem ad animadvertendum in facinoroſos homines, quod etiam poteſtas appellatur.

V. Ipſa etiam Iuriſdictio non rectius, quàm per poteſtatem finiri poteſt, ſive eam tàm latè capias ut ſub ſe comprehendat imperium merum, mixtum, & juriſdictionem in ſpecie ſic dictam, & nonnullis definitur jurisdicundi & de re quâlibet decidendi & exequendi poteſtas *Accurſ.*

curſ. in l. 1. D. de juriſdict. omn. jud. VVeſembec. in Parat. D. de juriſdict. num. 3. Donell. lib. 17. Comment. cap. 6. Treutl. vol. 1. Diſput 3. th. 1. lit. e. ſive accipias ſtrictius pro facultate jus dicendi de cauſis civilibus *l. 13. §. 1. D. de juriſdict.* Nam quod magni nominis ICti, *Cuiacius in Paratitl. C. de juriſdict. Obrechtus tract. de Iuriſdict. cap. 1. num. 19. & ſeqq. Matthias Stephani de juriſdict. lib. 1. cap. 2. num. 32. Scipio Gentilis lib. 1. de Iuriſdict. cap. 1.* genus juriſdictionis ipſam notionem conſtituant, deciſionem vel executionem, id à vero longius abeſſe cenſemus; quemadmodum tutela rectius definitur vis ac poteſtas tuendi, quàm per tuitionem. *§. 1. Inſtit. de Tutelis l. 1. D. eod. Tobias Paurmeiſterus à Kochſtet de juriſdict. lib. 1. cap. 10. num. 9.* Fruſtra autem gen[illegible]oc impugnat *Obrechtus d. cap. 1. num. 19.* quaſi poteſtatis vocabulum ſoli imperio mero congruat, non juriſdictioni; nam idem vocabulum & juriſdictioni ſimplici & ſpeciali applicatur in *d. l. 13. §. 1. D. de juriſdict.* & imperio mixto *in l. penult. in pr. D. ne vis fiat ei, qui in poſſeſſ. miſſ. erit.* & mero *l. 3. D. de juriſdict. l. 6. §. 1. D. de offic. Proconſ. l. 1. C. qui non poſſunt ad libertatem pervenire. l. 70. D. de Reg. Iur.*

VI. Etenim poteſtas jus dicendi de cauſis civilibus jure magiſtratus, in ſpecie dicitur Iuriſdictio Romanis: Aliaque ipſis eſt legis & ſpecialis conceſſionis, *l. 6. §. 2. D. de Tutel.* poteſtatem modicè coercendi vocant Mixtum imperium. *L. penult. in pr. D. ne vis fiat ei qui in poſſeſſionem miſſus erit*, poteſtatem animadvertendi in facinoroſos dicunt imperium Merum, *L. 3. D. de juriſdict.* Atque haſce tres poteſtatum ſpecies à ſe invicem diſtinctas eſſe ex apertiſſima *l. 3. D. de juriſdict.* abundè probatur. Quæ cum ita ſint, mirari ſatis non poſſumus, quid in mentem venerit eximio alioquin ICto *Scipioni Gentili tract. de juriſdict. lib. 1. cap. 2. in fine*, quod mixtum imperium idem eſſe

cum juriſdictione ſtatuat, cùm ſeparetur expreſsè juriſdictio ſpecialis, ab imperio omni, tàm mero quàm mixto *in l. 6.§.2. D de Tutel.* in ſpecie à mixto *in l. ult. §.1. D. de officio ejus &c.* & diverſis exemplis utraque ſpecies declaretur *in l. 3. & 4. D. de juriſdict.* præterea juriſdictio imperio mixto ineſſe dicatur in famosâ *l. 3. D. de juriſdict.* eidem cohærere *l. 1 §. ult. D. de offic. ejus, cui mand. eſt juriſdict.* E. non idem eſt cum eo, cui ineſt, vel cohæret; ſicut pactum bonæ fidei contractui in continenti adjectum eidem ineſt, & tamen ab eo ſeparatur *in l. 7. §. 5. D de pact* Idem denique apparet ex diverſis actibus mixti imperij, & juriſdictionis.

VII. Sanè antiquiſſimis temporibus iſthæc diſcriminatio non fuit in uſu, ſed diſtinctæ illæ poteſtatum ſpecies civili juri ortũ debent. Conjunctim enim initiò penes eum, qui ſuffragiis populi, ob ſpectatam virtutem & induſtriam imperandi, ad Rempublicam electus erat, reſidere tùm cognoſcendi & dijudicandi facultatem, tùm quoque jus puniendi *facinèroſos* voluerunt, quem non privatum ſed publicum hominem, gerentem perſonam civitatis aut regni animatam legem vocarunt. Vide *Ariſt. 4. Polit. 14.*

IIX. Laudatæ etiam poteſtates maximè conſpicuæ extiterunt non modò in Romanorum imperio, ſed & in Hæbræorum æquè ac Græcorum. Ex illis namque fuit Synedrium illud Judæorum, ad quod devolvebantur cauſæ omnes, etiam eccleſiaſticæ & criminales (quarum nomine quidẽ non merum imperiũ aut jus gladij nominatum, ſed ſceptrum occidendi & vivificandi competebat) tam per viam ſimplicis querelæ, quam appellationis. Vide *Carolum Sigonium de Republ. Hæbr. l. 6. c. 5.* nec nõ Iudicium ſeptem civitatum, itẽ decurionũ, βουλευτῶν. Apud Athenienſes cauſarum criminalium, præcipuè majorum Areopagus erat.

Vide

vide *Iſocratem in Orat. Areopagit. Iohannem Meurſium in peculiari quem de hoc judicio conſcripſit, tractatu, Nicephor. Calliſt. 11. Hiſtor. Eccleſ. cap. 20. Vbbon. Emm. in deſcript. Reipubl. Athenienſ. pag. 19. & 29.* civilium Prytaneus ἑξακοσίων id eſt ſexcentorum judicum, itē Heliaſticum judicium, de quo *Vbbo Emmius in deſcript. Reipubl. Athen. pag. 65.* & celeberrimum apud Thermopylas Amphyctionum, quod judicium ſupremum gentis Græcæ tribunal, ad judicandas & definiendas lites publicas appellat Idem *Emmius in deſcript. Concilij Amphictyonici.* Hiſce judicijs omnis competit δικαιοδοσία quæ Romanis fuit per partes diviſa, in juriſdictionem ſcilicet, merum & mixtum imperium. Adeoq; poteſtates iſtæ publicæ quoad ſubſtantiam apud omnes ferè unæ & eædem fuerunt, variatæ autem quoad ſpeciem & modum.

IX. Nos hiſce ita præmiſſis, ab urbe conditâ Romani poſtea & Germanici imperii varias poteſtates deducere operæ pretium exiſtimavimus, politica quoque & hiſtoria fundamenta in auxilium vocaturi. Nemini igitur obſcurum eſſe poterit, in ipſa Reipublicæ Romanæ infantiâ ſummā penes Reges poteſtatē fuiſſe. Quorū primus Romulus, ut libitū fuit, imperavit, uti *Tacitus 3. Annal.* loquitur. Et Pomponius noſter. *Initio civitatis hujus, ait, conſtat reges omnē poteſtatē habuiſſe. l. 2. D. de orig jur.* Romulus hic, dùm per tyrannidem imperium occuparet, & ſerviliter ſenatum civesque tractaret, nec non inconſulto populo quidvis non patraret, imperium & vitam perdidit, à primoribus cum ad exercitum recenſendum concionem in campo ad Capreæ paludem haberet, interfectus eſt, cujus corpus in minutiſſimas partes diſſectum, verior ſtatuit hyſtoricorum ſententia. Vide *Dyoniſ. Halicarnaſſ. Antiqu. Rom.*

lib.

lib.2. Valer. Max. lib.5. c.3. non probanda itaque aliorum opinio, qui eum à Marte patre nimbo ablatum cum *Livio lib.1. Plutarcho in Romulo, Sabellico lib. 1. cap. 8.* ſtatuunt. Aſt quid ad hæc Varro? qui teſte *Porphyr. in Horatium* ſepulcrum Romuli poſt roſtra fuiſſe affirmat.

X. Cauſſa obitus Regis hujus modo relata eſt, quam etiam *Dionyſ. Halicarnaſſ. d. lib. 2. Antiqu. Rom.* agnoſcit, cujus verba ex verſione Gelenii hæc ſunt. Cujus facinoris, cauſſam afferunt, quod præter conſuetum inconſulto à civitate dimiſiſſet acceptos à Vejentibus obſides; quodque non amplius pari comitate dignaretur veteres cives & adſcripticios, ſed illos majore haberet in pretio, poſteriores verò deſpiceret, inviſa erat & crudelitas ejus in delinquentium ſupplicijs.

XI. Numa Pompilius interfecto Romulo regno potitus, quamvis teſte Halicarnaſſ. diu imperium recuſaſſet, urbem novam, conditam vi & armis, ut Livius ait, jure legibuſque, ac moribus de integro paravit. Hunc virum, inquit, Halicarnaſſ. negant Romani ullam expeditionem feciſſe, ſed pietati ac juſtitiæ vacantem, in pace totum imperij tempus tranſegiſſe, ac civitatem optimis inſtitutis ornaſſe. Hic ipſe eſt, qui duos menſes anno Romuleo addidit, teſtibus *Plutarcho in Numâ Pompilio, Caio Iulio Solino cap.3. Polyhiſtoris, Macrobio Saturnal. lib. 1. cap. 12. Aurelio Caſſiodoro Patricio quondam Romano in Chronico ſuo, quod Cuſpinianus eruditiſſimis ſcholiis illuſtravit, Cenſorino libro de die natali cap.20. Ovidio 1. & 3. Faſtor.* quamvis tùm è veteribus *Feneſtella & Licinius Macer*, tùm è recentioribus *Cl. Ioſephus Scaliger lib.2. de emendat. tempor. p. 172. Albericus Gentilis Lib. de diverſis tempor. appellat. p. 21. Bodinus* aliique ſtatim ab initio à Romulo, quod annus duodecim menſes haberet, conſtitutum aſſerant, quos refutavit vir maxi-

maximæ eruditionis *Dionyſius Petavius lib. 2. de doctrinâ temporum cap. 72.*

XII. Numam defunctum ſecutus eſt Tullus Hoſtilius, quem abſolutam poteſtatem in Republicâ Romanâ obtinuiſſe patet ex condemnatione Horatii, quæ tamen valde imminuta per provocationem ad populum cuidam videri poſſet. Cum enim provocatio non niſi ad majorem fiat, ſequi videtur omnino populum Rege ſuperiorem fuiſſe. Quin *Livius lib. 1. Decad. 1. hyſt.* expreſsè tredit abſolutum Horatium fuiſſe, non à Rege, ſed à populo Romano, nec id diffitetur *Halicarnaſſ. lib. 3. Antiqu. Romanar.* cujus verba notabilia hæc ſunt: *Populus Romanus tum primum capitalis judicij* poteſtatem *nactus, comprobavit patris ſententiam, juvenemque abſolvit à cædis crimine.* Idem ex Ciceronis operibus de Republicâ & Pontificialibus libris annotat *Seneca lib. 19. Epiſt. 109.* Cæterum ut ut ſubtiliter iſta diſputari poſſent. id tamen conſtat, tùm ex Livio, tùm Halicarnaſſ. nonniſi regis conſenſu populum capitalis judicii participem factum fuiſſe. Non igitur propriâ authoritate, ſed delegante Rege vices ſuas Horatium populus abſolvit.

XIII. Interim hâc occaſione oblatâ ferox Populus Romanus Regum poteſtatem coarctare, ac jura majeſtatis ſe trahere laboravit. Ancum enim Martium, qui Tullo ſucceſſit, conſentiente demum populo Latinis bellum indixiſſe teſtatur *Livius lib. 1. Decad. 1. Hiſt.* ibi: *Bellum erat conſenſu fieri ſolitum.* Manſit tamen tam eidem, quàm ſucceſſori Servio Tullio reliqua regia *poteſtas* ſalva & illæſa.

XIV. De Servio Tullio Halicarnaſſenſis tradit, eum privatas cauſas judicibus ad id conſtitutis delegaſſe, criminum tamen publicorum cognitionem ſibi reſer-

vaſſe. *Cum priores reges*, ait, *ad ſe revocarent judicia omnium litium, & de omnibus criminibus tàm ad privatas injurias, quàm ad Rempublicam pertinentibus ſuo more decernerent, illi ſeparavit hæc, laſæque Reipublicæ criminum ſe fecit judicem, privatarum perſonarum querelas ad alios relegavit judices, quibus leges à ſe conditas, ſeu limites ac regulas præſcripſit, quas ſequerentur in judiciis.*

XV. Tarquinio Superbo ultimo Romanorum Regi inter alia crimini datum fuiſſe tradit *Livius lib. 1. Decad. 1.* quod Regum primus traditum à prioribus morem de omnibus ſenatum conſulendi ſolverit, domeſticis conſiliis Rempublicam adminiſtraverit, bellum, pacem, fœdera, per ſe ipſe, cum quibus voluerit, injuſſu populi ac Senatus fecerit. Qualis verò *poteſtas* Regi tribuenda, qui populi ac ſenatus juſſu omnia agere tenetur?

XVI. Exactis Regibus, pulſoque Tarquinio Superbo, deletum prorſus ac extirpatum regium nomen fuit, ſucceſſit verò annuum Conſulum imperium. Primum conſulatum Romæ L. Junius Brutus & L. Tarquinius Collatinus (anno poſt Romam conditam ut *Livius & Dionyſius* teſtantur, CCXLIV. tenuerunt.) Hos omnia jura majeſtatis & inſignia tenuiſſe *Livius lib. 2. Hyſt.* locupletiſſimus teſtis eſt. Nihil enim diminutum ex regiâ poteſtate fuiſſe affirmat, niſi quod annuum eſſet conſulare imperium. *Numeres*, ait, *omnia jura, omnia inſignia primi Conſules tenuere, id modo cautum eſt, ne ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror videretur.* Idem ante Livium *Polybius lib. 6.* annotavit. *Conſules*, ait, *antequam ex urbe Legiones educant, urbanarum rerum omnium jus atque imperium habent. Cicero lib. de Legibus 3. Regio imperio duo ſunto: iique præeundo, judicando, conſulendo, Prætores, Iudices, Conſules appellantor, Militiæ ſummum jus habento, nemini parento, Ollis*

ſalus

ſalus populi ſuprema lex eſto. Dionyſius idem obſervat. *Tranſlato,* ait, *deinde à regibus ad annuos conſulatus imperio, inter cætera officia regia juris quoque reddendi munus ad eos devenit; ita ut quacunque de re orta eſſet inter cives controverſia, illi de jure reſponderent.* Ab initio igitur Reipublicæ liberæ omnimoda poteſtas Conſulibus competiit. Audiamus Pomponium noſtrum in *l. 2. §. 16. D. de orig. jur. Exactis deinde regibus,* inquit, *conſules conſtituti ſunt duo: penes quos ſummum jus uti eſſet, lege rogatum eſt.*

XVII. Hæc imperandi forma non diu manſit. Poſt mortem Bruti enim reſtrictũ imperiũ conſulare per P. Valerium Publicolam lege Centuriatis Comitiis latâ, ſcilicet, ut civi Romano provocare liceret, & ne quis magiſtratus cives Romanum adverſus provocationem verberare, aut necare poſſet. *Plutarch in Public.* Eo tempore, ut rectè Pomponius ICtus in *l. 2. D. de orig. jur.* obſervat, major *poteſtas* populi, quàm Conſulum fuit, quin Conſules, dum provocátionem ad populum concedebant, ſimul eum ſuperiorem eſſe agnoſcebant. Rectè igitur *Livius lib. 4.* eâ lege diſſolutum imperium conſulare fuiſſe exiſtimat. Plebs enim tum occaſionem cepit, patribus ſe opponendi, & jura majeſtatis iis eripiendi. Hoc tempore inter Oligarchiam & Democratiam Reſpublica videbatur ambigere, tribunis omnia júra ad populum transferre, patribus verò ſibi retinere volentibus, donec in Democratiam degeneraret, & SCta niſi juſſu populi non valerent.

XIIX. Hujus mutationis autores, tribunos plebis fuiſſe conſtat, qui quamvis ab initio creati, non juridicundo, nec cauſis, querelisque de abſentibus cognoſcendis, ſed interceſſionibus faciendis, quibus præſentes fuiſſent: ut injuria, quæ coram fieret, arceretur, ut *A. Gellius*

Noct. Atticar. lib. 13. cap. 12. loquitur, unde & apud *Livium lib. 6.* notatum. Imperium penes Conſules, penes tribunos auxilium tantùm eſſe, & *Cicero pro Quintio* tribunatum, magiſtratum auxilij cauſa conſtitutum eſſe affirmat. *Barnab. Briſſon. de formul. lib. 2. pag. 141.* tamen poſtmodum ſui juris limites tranſgreſſi fuere. Conſulibus enim diem dixerunt, & venire recuſantes, tùm damnarunt, tùm mulctam irrogarunt, quin eò tandem progreſſi, ut cum plebiſcita antea tenerent ſolam plebem, poſt hac & patres iiſdem ſubjicerent, *Livius lib. 2. 3. & 4.* Tum igitur ſtatus popularis cæpit.

XIX. Conſulum auctoritati plurimum quoque derogavit Cenſorum creatio, quibus id omne, quod conſules tanquam regium munus habebant, commiſſum fuit. *Plutarchus in vitâ Catonis Cenſorij. Annos*, ait, *decem Cato poſt conſulatum cenſuram ambivit, quæ cum omnium magiſtratuum facilè princeps ſit, univerſæ rei ſupremum & perfectiſſimum locum habet.* Paulò poſt addit. *His licebat & integrum erat è ſenatu eos ejicere, qui flagitiosè ac intemperanter degerent. Ipſi quoque ſacrificiorum precia curabant, & deſcriptionibus genera & reipublica officia diſtinguebant.* De horum officio ita *Cicero lib. 3. de Legibus. Cenſores populi ævitates, ſoboles, familiasque cenſeto. Vrbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuento, Equitûm, peditumq́; prolem deſcribunto. Cælibes eſſe prohibento. Mores populi regunto. Bini ſunto. Magiſtratum quinquennem habento. Eaque poteſtas ſemper eſto.*

XX. Populo deinde aucto, ut Pomponius in *l. 2. §. 18. D. de orig. jur.* loquitur, cum crebra orirentur bella, quædam acriora à finitimis inferrentur: interdùm re exigente placuit majoris *poteſtatis* magiſtratum conſtitui, itaque Dictatores proditi ſunt, à quibus nec provocandi

jus

jus fuit: & quibus etiam capitis animadverſio eſt. Coincidunt cum Pomponio noſtro ea, quæ de poteſtate ac imperio Dictatoris poſteritati reliquit *Dionyſius Halicarnaſſenſis.* οὗτος, ait, πρῶτος ἐν ῥώμῃ μόναρχος ἀπεδείχθη πολέμου καὶ εἰρήνης καὶ παντὸς ἄλλου πράγματος αὐτοκράτωρ. Quin audiamus idem notantem *Polybium lib. 3. Hiſtor.* cujus verba ex interpretatione Cl. Nicolai Perotti hæc ſunt; *Dictator autem eò differt à conſule, quod Conſulem duodecim ſecures præcedant, Dictatorem vero quatuor & viginti: præterea illos neceſſe eſt, multa referre ad Senatum, at hujus eſt ſummum liberumque imperium ſub quo mox cæteri magiſtratus ceſſant, exceptis tribunis, adſtipulatur hiſce & Appianus lib. 1. de bello Civili.* Quin igitur Dictator tempore Dictaturæ ſuæ, omnimodã, ut vocant habuerit jurisdictionem, hoc eſt & imperium merum, mixtum, & juriſdictionem in ſpecie ſic dictam, nullum eſt dubium, expreſsè enim id tradit ICtus Pomponius in adductâ *l. 2. §. 18. D. de orig. jur.* ibi: *& quibus etiam capitis animadverſio eſt.* Vnde ſanè Dictatorem Monarcham vel Regem quendam Romanorum non improbabiliter dixeris. Halicarnaſſenſis ac Cicero majorem Dictatoris quam Conſulum poteſtatem fuiſſe non diffitentur. At Coſſ. omnia jura ac inſignia, quæ Reges habuerant, tenebant, teſte *Livio Decad. 1. lib. 1.* Nec officit, quo unico movetur vir poſt Ariſtotelem, quoad Politicos parem non habens *Bodinus lib. 1 de Republ. cap. 8.* quod hæc Dictatorum poteſtas perpetua non fuerit, ſufficiat, quod ſecundum eundem Bodinum d. l. ea ſumma fuerit. Duratio enim naturam rei non immutat, quanquam ſi de dignitate quæritur, quæ majeſtas dici ſolet, dubium non ſit, quin ea major ſit in eo cui jus perpetuum datum eſt, quàm cui temporarium, quia ad dignitatem facit habendi modus. Hanc noſtram ſententiam, ne cui

forſitan nova videatur, non obſcurè etiam tueri videtur vir incomparabilis *H. Grotius ſtupendo de I. B. ac P. opere lib. 1. cap. 3. pag. 58.* adde *Iohannem Henricum Boeclerum in Notis ad lib. 2. cap. 28. Vellei Paterculi.*

XXI. Cæterum Democratico hoc Reipublicæ Romanæ ſtatu, cum impoſſibile ferè eſſet de omnibus populum judicare, quibuſdam certis perſonis judicandi *poteſtatem* dedit, conſtituitque Quæſtores parricidii, Pomponius ICtus *in l. 2. §. 23. D. de orig. jur.* Hi interdum ex privatis eligebantur, qui an factum quid, vel non factum ſit, quærerent, unde & nomen ſortiti, interdum verò & ipſi Conſules & prætores quærere juſſi ſunt, poſtmodum quæſtiones perpetuæ quoque eſſe cæperunt, ac integro anno certo Prætori quærendi poteſtas data eſt, ac ex definitis legis condemnatio facta.

XXII. Porro, cum Conſules avocarentur bellis finitimis, neque eſſet, qui in civitate jus reddere poſſet, duo Prætores conſtituti, alter Vrbanus, peregrinus alter. Pomponius ICtus in *l. 2. §. 27. & 28. D. de O. I.* Hiſce prætoribus urbano ſcilicet & peregrino, & mixtum imperium, ac juriſdictionem, quæ mixto imperio ineſſe ICto dicitur *in l. 3. D. de juriſdict.* competiiſſe puto. Quod ut aliquantò pluribus oſtendatur, animadvertendum eſt, primum Prætoris officium in judicibus dandis conſtitiſſe, quod ſimplicis juriſdictionis eſt. Iudicem enim dabat, qui acceptâ formulâ, & præſcripto quodam juris, de facto tantùm cognoſceret: præſcribebat quoque jus judicibus, quod in judicando ſequerentur. Confirmatur id per pleraque Prætorum edicta, quæ in libris Pandectarum reperiuntur, in quibus judicem ſe aut actionem daturum, non autem judicaturum Prætor pollicetur. Vide Clariſſimum ICtum *Franciſcum Duarenum in Apologiâ adverſus Eguinarium Baronem*

ronem. Vnde *Cicero ad Quintum fratrem*, Quid Prætor ſolet judicare deberi? Prætorem urbanum legimus jus dixiſſe, decreviſſe, judicaſſe inter privatos non legimus. Quicquid ſanè pronuntiabat jus dicens Prætor genere quodam decretũ appellabatur, idq́; ut alios præteream us, dilucidè teſtatur *Tertullianus libro de habitu muliebri*, adde quæ hâc de re annotavit *Iacocus Ravardus elegantiſſimo Pro. tribunalium libro cap. 8.* Cæterùm Prætor ſummatim auditâ actoris intentione ac rei defenſione, cognoſcebat de jure; & tum judices dabat, qui de facto cognoſcerent. Hi erant plerunque homines privati, in quos maximè litigatores conſenſerant: jubebantur interim intra certa tempora litem controverſiamque dirimere, ut notat Vlpianus *in l. 2. §. 1. D. de judiciis*, ac formulam Prætoris accuratè obſervare, *Seneca 4. de Benefic. Briſſon. lib. 5. formul.* Iudex datus ſecundum formulam Prætoris, aut pronuntiabat, aut ſi negotium nimis arduum & difficile, ſibi non liquere jurabat *l. 36. D. de Re judicatâ. A. Gellius lib. XIV. N. A. c. 11.* qui ipſe lectus aliquando judex, cum ſibi non liquere juraſſet, apud Prætorem ſe ſolutum memorat adde *Senecam 8. Epiſt. 66.* ibi: *Aufer ſententiam, aut quod faciliùs in hujusmodi rebus eſt, Nega tibi liquere, & nos reverti jube.* Prætori igitur quin juriſdictio competierit, nullum dubium, unde & jus dicere ſpecialiter dicitur *in l. 12. D. de vulgar. & pupillar. ſubſtitut. l. 2. D. de jur. deliber. l. 1. D. de juriſdict:* Quod etiam mixtum imperium habuerit Prætor, probat miſſio in bonorum poſſeſſionem, quando videlicet aut decreto eam dabat, uſus plerunque hâc formulâ: in poſſeſſionem ire jubeo *l. 2. D. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eat.* aut adimebat *l. hac autem 5. ait Prator. 2. D. eod.* Interdicta quoque imperium Prætoris competiiſſe oſtendunt, erant enim formulæ & conceptiones verborum, qui-

bus

bus aut jubebat aliquid fieri Prætor, aut fieri prohibebat *§. 1. Inſt. de Interdictis.*

XXIII. Atque tantum de rerum ſummâ atque majeſtate imperii, prout reſedit penes populum Romanum. Conſequens eſt, ut oſtendamus, quo pacto, modo, imperium Romanum abrogato magiſtratu antiquo, ubi nil niſi vanum nomen, umbra vel rudera: propagatum fuerit in Cæſares, cœperitque demum dici imperium Monarchicum. Quod aggreſſus Iulius Cæſar, quicquid ſplendoris, majeſtatis præ ſeſe ferebat Roma, in ſeſe derivare auſus, quibus auſpiciis bellis & fortitudine, non eſt operæ precium huc adſcribere, cui ſi fata vitam conceſſiſſent diuturniorem ſolidiùs & robuſtiùs confirmaſſet ſceptrum majeſtatis ſuæ, & cœpti imperii Cæſarei.

XXIV. Auguſto feliciori ſucceſſu conatus ceſſit; devictis enim diverſarum partium ducibus & ferociſſimis quibuſvis, qui reſiſtere ei videbantur, per aciem aut proſcriptionem ſublatis, ubi militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexiſſet, tum inſurgere paulatim, munia Senatus magiſtratuum in ſe trahere nullo adverſante, ut *Tacitus 1. Annal.* loquitur, cui adſtipulatur *Dio de eodem agens lib.* LII.

XXV. Ne verò Auguſtus principatum armis partûm amitteret, ante omnia odium atque invidiam ſibi declinandam exiſtimavit, unde nec trium viratus nomen, quod exoſum omnibus erat, neque Regis, quod execrabile prorſus Romanis, aut Dictatoris, quod & per ſe odioſum ac formidabile, aut aliud quoddam invidioſæ *poteſtatis* aſſumſit vocabulum, quo cæteris præſtaret, ſed potiùs ut unus ex cæteris, legitimisque magiſtratibus videretur, neque tam tollere, quam conſervare veteris Reipublicæ formam, Conſul vocari maluit, tribunitio jure

una

una contentus, exinde omnem ſenatus plebisque potentiam complexus, nam ut Senatui conſules, ita Tribuni plebi caput dabant.

XXVI. Hiſce acceſſit, quod titulorum ludibria contemnens principis appellatione contentus eſſet, Tacito teſte, unde extra invidiam & offenſam erat; Etenim vulgi ingenium eſt, ut quicquid bonum improbet, malum approbet, & quicquid extollat, infame ſit, quod vituperat laude dignum, ut dicere ſolitus Johannes Papa 13. *teſte Balao in vitâ ejus*, vel quod ſuâ naturâ peſſimum, modo voce blandum ſonuerit, amplectatur, neque hoc ſibi facile extorqueri patiatur, ut *Dion. Halicarnaſſ. 4. Antiqu. Romanar.* obſervat.

XXVII. Ne quoque vulgus vel P.R. ſeſe omnimodam affectare majeſtatem, & ſupremas juriſdictionis falces exiſtimaret, munus cenſorium atque tribunitiam poteſtatem in ſe recepit, eamque eſſe voluit perpetuam, ut *Suetonius in Auguſto cap. 27.* tradit. Interea conſulatum vigeſimo ætatis anno invaſit, admotis hoſtiliter ad urbem legionibus, miſſisque, qui ſibi nomine exercitus depoſcerent, ut Suetonij verbis utar, tùm quidem cunctante Senatu, Cornelius Centurio princeps legationis, rejecto ſagulo oſtendens gladij capulum, non dubitavit in curiâ dicere: Hic faciet, ſi vos non feceritis.

XXVIII. Auguſtus itaque ſentiente aut contradicente nemine munia Senatus, magiſtratuum, legum, ad ſe trahebat, quæ cum ſibi erepta demum populus ſentiret, nec reſiſtere t valeret, nolens volens tandem ſummum imperium Auguſto deferre coactus fuit, idque Lege latâ, quæ Regia dicta, quâ ipſum legibus ſolutum voluere, *§ 9. Inſt. de I. N. G. & C. l. 1. D. de Conſtitut. Princip.* Factum id ſecundum veriorem Hiſtoricorum ac ICtorum ſententi-

 am

am A. V. C. 742. Vid. Nobiliſſimum Dn. Præſidem Patronum ac Præceptorem noſtrum æternùm venerandum in *obſervat. ad VVeſembec. D. d. T.*

XXIX. Et licet multi præclari viri, & inter eos præprimis *Tobias Paurmeiſterus Tract. de Iuriſdict. lib. 1. cap. 5.* Legem illam Regiam nunquam latam fuiſſe contendant, nil aliud tamen agunt, quàm ut apertiſſimos Iuris textus, & tot celeberrimorum Hiſtoricorum, præſertim *Dionis lib. 52. ac Strabonis* teſtimonia in dubium vocent: examinare interim Paurmeiſteri argumenta hoc loco non opus, præſertim cùm dudum ijs ſatis factum à clariſſimo Viro *Iohanne Limnæo tom. 1. de Iure publico lib. 1. cap. 12.*

XXX. Hanc Legem Regiam iteratam in Veſpaſiano non pauci voluut, idque ut probent, fragmentum, quod extat Romæ in Lateranenſi æde ab *Anton. Auguſt. de Legibus in Lege Regiâ Hottom. & Ioan. Reſin. lib. 7. Antiqu. Rom. c. 12.* editum adducunt. Cujus tamen fragmenti fidem non deſunt, qui in dubium vocent.

XXXI. Id non prætereundum, ICtum Pomponium in *l. 2. §. noviſſimè D. de orig. jur.* rectè affirmare, neceſſe fuiſſe tùm temporis Reipublicæ Romanæ per unum conſuli. Popularis enim dominatus cum ſeneſcit in anarchiam & omnium rerum confuſionem tranſit: ejuſque non aliud remedium eſt, quàm potens unius dominatus. Certè Roma Cæſaris & Auguſti temporibus in eâ conditione erat, ut impoſſibile eſſet recuperare libertatem, omnia enim factionibus laborabant, ſalva eſſe Roma, non poterat niſi beneficio ſervitutis. *Seneca* v. *de Benef.* XVI. Unde rectè ICtus Pomponius, rectè etiam illuſtris Annalium conditor *Tacitus 1. Annal.* non aliud diſcordantis patriæ remedium fuiſſe dicunt, quàm ut ab uno regeretur. Errat ergo *Suibeldus Differtat. de Iuriſdict. th. 64.* dum ICtum

eo ipſo Principum malitiæ velum obtendiſſe affirmat.

XXXII. Per L. autem Regiam non ſolum *νομοθεσία* ſed *παμβασιλεία* à populo in Principem collata *l. 1. D. de Conſtit. Princip. § 6. Inſt. de I.N.G. & C.* eademque non communicativè, ut ſibi imperij quid retinuerit, & principem imperij ſolùm participem & ſocium fecerit, quod cum *Mario Salamonio* ſtatuit *Duarenus D. de Conſtit. Princip. cap. 1.* & eum ſecutus *Paurmeiſterus de Iurisdict. cap. 5.* ſed privativè, ut ſe omni poteſtate abdicarit, eamque totam in Principem tranſtulerit.

XXXIII. Ex modo adductis apparet L. Regiâ latâ Rempublicam Romanam ad Monarchiam iterum delapſam, adeoque & omnimodam poteſtatem ad Principem Romanum tranſiiſſe, qui vel ipſe, vel per delegatos eam exercebat, cumque victorijs auguſtiſſimi Cæſaris ita auctum imperium Romanum eſſet, ut varijs hinc inde magiſtratibus ad gubernandas devictas provincias, ijſque jus dicendi opus eſſet, tot conſtituti Præſides Proconſules, Præfecti Prætorij &c. de quorum juriſdictione ut nonnihil dicamus ordo poſtulat.

XXXIV. Primo igitur acturi ſumus de illis magiſtratibus, qui merum imperium apud Romanos habuerunt, deinde qui mixtum, poſtremo qui juriſdictionem ſimplicem. Magiſtratus autem apud Romanos, ut id præmoneamus alij erant urbani, alij Provinciales, alij municipales. Urbani qui in urbe Româ jus dicebant, ut Præfecti Vrbis, Prætores &c. Provinciales qui extra urbem in provincijs ſeu regnis à populo Romano devictis, ut Præfecti Prætorio, Præſides, Pro Conſules. Municipales verò, qui in unaquâque civitate cujuſque provinciæ juridicundo præerant. Vide eleganter ac nervoſe hæc exponentem Nobiliſſimum Dn. Præſidem Patronum & Præcepto-

rem noſtrum venerandum *in obſervat. ad VVeſembec. lib. 1. tit. 13. per tot.*

XXXV. Merum imperium ſub Impp. in urbe quidem habebat Præfectus urbi, *l. 1. D. de offic. Præfect. urb.* An etiam jus gladij? Negat id quidem *Goveau. in l. 3. D. de juriſdict.* vix eſt, inquiens, ut in urbe gladij poteſtatem habuerit, in quâ ne conſulibus quidem ſecures præferebantur, id tamen vix admittere videtur adducta *l. 1. D. de offic. Præfect. Vrb.* ibi: *omnia crimina.* Hunc magiſtratum inſtituiſſe Auguſtum Suetonius auctor eſt, & Victor Aurelius, quamvis à primâ Romanæ gentis infantiâ præfecturam Vrbis obtinuiſſe eleganter deducat *Tacitus 6. Annalium de Obitu L. Piſonis agens.* Dignitatem Præfecturæ Vrbis quod attinet ea ſumma erat. Impp. enim Valens, Gratianus & Valentin. ad Rufinum Præfectum Vrbis *in l. 3. C. de offic. Præfect. Vrb.* reſcribunt Præfecturam Vrbis cunctis, quæ intra urbem ſunt, antecellere dignitatibus. Quin etiam Præfectus Vrbi in nonnullis ſupra Præfectum ipſum prætorij fuit. Princeps enim quodammodo Senatus erat, ſedebatque in curiâ ante patricios, conſules, conſulares, præfectum prætorij, magiſtros militum, & cæteros illuſtres, ut eſt *in Novellâ* LXII. *Cuiacius in expoſit. d. Novella, Idem in Paratitl. C. de offic. Præfect. Vrb.*

XXXVI. In provinciis Præfectis prætorio merum competebat imperium, quia ſecundi illi erant ab Imperatore teſte *Zoſimo lib. 2.* *ἡ τῶν ὑπάρχων ἀρχὴ* ait *δευτέρα μετὰ τὰ σκῆπτρα νομιζομένη.* h. e. Præfectorum magiſtratus ſecundus ab Imperatore exiſtimatus. Dicti fuerunt patres imperij & provinciarũ *Caßiodoro lib. 6. Var. 8. & 11.* qui omnem judiciorum poteſtatem ac pleniſſimum imperium auctore *Ammiano Marcellino lib.* XXI. etiam in ipſos Senatores habebant, licet ipſi ante Alexandri Severi conſtitutionem

non

non fuerint Senatores, ſed equites Romani, *ut Ælius Lampridius in Alexandro Severo & Commodo* tradit. Eam dignitatem potentiâ parum cedere imperatoriæ majeſtati affirmat Opilius Macrinus Imperator in Oratione ad Senatum miſsâ, quam refert *Herodianus hyſtoriâ quintâ. Eunapius* imperium ſine purpurâ nominat *in Proæreſio:* ἡ δ' ἀρχὴ, ait, βασιλεία ἐστὶν ἀπόρφυρος. Evagrio quem allegat *Cl. Caſaubonus in Notis ad Lampridij Ant. Diadumenum* eſt ἡ κορυφαία τῶν ἀρχῶν *lib. 3.* Inter alia, quæ præfectis prætorio cum ipſis Impp. communia erant privilegia non exigua hæc erant (1.) quod ab illis non appellaretur. *L. un. §. 1. D. de offic. Præfect. Prætor.* Credebat enim princeps Romanus eos, qui ob ſingularem induſtriam exploratâ eorum fide & gravitate, ad hujus officij magnitudinem adhibiti eſſent, non aliter judicaturos eſſe pro ſuâ ſapientiâ & luce dignitatis ſuæ, quàm ipſe foret judicaturus, ut loquitur Aurelius Arcadius Chariſius IÇtus peculiari libello de officio Præfecti Prætorio. Vide *Bodinum lib. 3. de Republ. cap. 5. Hilliger. in Donello Enucleato lib. 28. cap. 6. lit. u.* (2.) quod vice ſacra ubique judicarent. *Caſſiodor. 6. Variar. 3.* (3.) quod ex ſcripto ſententiam non ferrent *l. 2. C. de ſentent. ex brevic. recit.* quod cæteris judicibus non erat permiſſum, qui ex tabellâ litigantibus ſententiam edebant. *L. 34. l. ult. C. de præd. dec. l. ult. C. de princip. agent. in reb. l. in ſacris C. de prox. ſacri ſcrin. Symmachus lib. 1. Epiſt. 27. Gulielm. Fornerius in Notis ad Caſſiodor. lib. 6. Variar. epiſt. 3.* Vide dignitates, officia & munera Præfectorum Prætorio latè explicantem *VVolfg. Lazium lib. 2. de Rep. Rom. c. 1. & 2. cum ſeq.*

XXXVII. Vicarij, qui pro Præfectis Prætorio mittebantur in tractum vel diæceſim aliquam, aliquot in ſe provincias continentem, ejuſdem juris cum Præfectis prætorio æſtimandi, hoc eſt & merum imperium habuerunt,

runt, agebant enim vices Præf. præt. unde & in *l. 1. D. de Legat. 3.* vice præfecti ex mandatis principis cognoſcere dicuntur, quin expreſsè Impp. Valent. Valens & Gratianus ad Antonium Præfectum prætorio *in l. 1. C. de officio Vicarij* reſcribunt, vicariam dignitatem judicationis imperialis ſolere repræſentare reverentiam, idem quoque à Caſſiodoro notatum.

XXXVIII. In provinciis merum imperium quoque habebant Præſides provinciarum, jus gladii eos habuiſſe *ex l. 6. §. qui univerſas 8. D. de officio Præſidis & l. 1. C. qui non poſſunt ad libertatem pervenire* conſtat. Hermogenianus ICtus *in l. 10. D. eod.* de poteſtate eorum agens, Ex omnibus, ait, cauſis de quibus vel præfectus Vrbi vel præfectus Prætorio, itemque conſules & prætores, cæterique Romæ cognoſcunt: correctorum & præſidum provinciarum eſt notio, quamvis autem jus gladii habuerit præſes, tamen jus deportandi ipſi non competiit, uti expreſsè id tradit Vlpianus ICtus tribus præprimis in locis (1) *in l. 2. §. 1. D. de Pœnis* (2.) *in l. 1. §. 3. & 4. D. de Legat. 3.* (3.) *in l. 6. §. 1. D. de interdict. & relegat.* Nec ſibi contradicit idem Vlpianus *in l. ſi quis 6. §. ult. D. de pœnis*, ad quam *Petrus Peckius ICtus clariſſimus in aureo ſuo Commentario ad regulas Iuris Canonici. Regulâ 53. Hottom. 3. obſ. 12.* aliique diſtinguendo reſpondent. Aut enim ajunt Præſes inſulam in ſuâ provinciâ habet, aut non habet. Priori caſu rectè eum deportare poſſe, poſteriori verò non utique, quia tùm fines ſuæ juriſdictionis excederet.

XXXIX. Merum imperium Proconſulibus competiiſſe Vlpianus in *l. 7. D. de offic. Proconſ.* locupletiſſimus auctor eſt, idemque majus eos imperium in provinciâ ſuâ habuiſſe poſt Principem *Vlpianus ICtus in l. 8. D. eod.* affirmat, hinc etiam jus deportandi *d. l. 8.* jus coercendi atrociter verberandi habuerunt *l. 11. D. de offic. Proconſulis.*

Pro-

Pro Conſules hi erant, qui in certas provincias, Aſiam, Africam, Achaiam ſortitò mittebantur, cum imperio conſulari, ut tam bella quàm civilia regerent ex ordinatione Auguſti, ut Suetonius, & Strabo tradunt. De poteſtate illorum eleganter *Salvianus VII.* Quotidianus ait, judex, & rector, quantum ad nomen quidem ProConſul, ſed quantùm ad potentiam Conſul. ProConſules porro non amplius quàm ſex faſcibus utebantur *l. 14. D. de officio Proconſulis.* Et uti egreſſi civitatem Romam proconſularia inſignia habebant, & in provinciâ ſibi decretâ poteſtatem exercebant *l. 1. D. eod.* ita rurſus portam Romæ ingreſſi imperium deponebant. *l. fin. D. eod.*

XL. Atque hi præprimis fuere, qui merum imperium ſub Impp. in Republicâ Romanâ habuerunt, conſequens eſt, ut agamus de ijs, quibus mixtum competiit imperium.

XLI. Mixtum imperium igitur competebat Præfecto Vigilum. Cognoſcebat enim non tàm de criminibus nocturnis, quàm quod fuſtibus caſtigaret eos, qui negligentius ignem habuiſſent, teſte *Paulo ICto in l. 3. D. de Officio Præfecti Vigilum,* de capitalibus autem cauſis nihil ſtatuere poterat, ſed eas referebat ad Præfectum Vrbi. Dilucidè id probat *l. 1. C. de offic. Præfect. Vigilum,* ubi Impp. Theodoſius & Arcadius ad Nephtidium præfectum urbis, Præfecti Vigilum hujus urbis, ajunt, nihil de capitalibus cauſis ſuâ auctoritate ſtatuere debent: ſed ſi quid hujusmodi evenerit, culmini tuæ poteſtatis referre, ut de memoratis cauſis celſiore ſententiâ judicetur. Idem tradit *Vlpianus in l. final. D. de officio Præfecti Vigilum & Caſſiodorus quoque in formulâ Præfecti Vigilum 7. Var. 7. ibi.* Quapropter circa fures ſolicitus eſto: quos ſi tibi leges punire minimè præcipiunt, tamen eos indagandi licentiam

con-

contulerunt. Cognoſcebat verò Præfectus hic Vigilum non tantùm de incendiarijs, ſed etiam de raptoribus, invaſoribus, furibus, receptatoribus, effractoribus. *l. 3. D. de offic. Præf. Vigil.* & in eos jus fuſtium, flagellorum, ac virgarum habebat *l. 3. & l. ult. D. eodem* unde patet mixtum ipſi competiiſſe imperium, quin in quibuſdam cauſis & merum habuit imperium, jus enim gladii in ſervos fures habuiſſe reperio apud ICtum Pomponium in *l. pen. D. de Condict. cauſ. dat.* uti etiam in fugitivos *l. 2. D. de ſerv. fug.* quia ſui furtum faciunt *l. 1. C. de ſerv. fugit.* de aliis facinoribus, ut ſupra notatum cognoſcebat Præfectus Vrbi *l. 1. C. de offic. Præfect. Vigil.* Magiſtratum hunc Auguſtus inſtituit authore *Suetonio in vitâ ejus cap. 30.* Occaſionem conſtituendi hujus magiſtratus exponit *ICtus Vlpianus in l. 2. D. de offic. Præfect. Vigil* dum plura incendia uno die exorta fuiſſe memorat. Dictus hic præfectus in provinciis *νυκτοςρατηγὸς l. ult. §. legati D. de mun. & hon.* in Ægypto *Straboni νυκτερινὸς ςρατηγὸς.* Poſtmodum temporibus Iuſtiniani Imperatoris, cum jam ferè evanuiſſet ea dignitas, quippe quod indignè & ignominiosè *νυκτέπαρχοὶ* vocabantur, eam revocavit Juſtinianus imperator *in Novellâ 13.* conſtituens ibidem, ut in poſterum non *νυκτέπαρχοὶ* ſed prætores plebeji appellarentur.

XLII. Mixtum quoque imperium in Ægypto habuiſſe præfectum Auguſtalem veroſimile eſt. Cognitionem ſubinde habebat, ſeu ſimplicem juriſdictionem, quæ tamen nulla ac eluſoria fuiſſet, non accedente levi quadam coercitione adeoque mixto imperio. Impp. Theod. Arcad. & Honor. ſanè præfecto prætorio Auguſtali ordinariorum ſub ſe judicum examinandorum flagitia, & ſuper his referendi, non amovendi, vel puniendi poteſtatem conceſſerunt *l. 2. C de offic. Præfect. auguſtal.* Præfectus

ctus hic, ut Ægypto præeſſet primum ab Auguſto conſtitutus, ex equitibus, non ex ſenatoribus, ut *Tacitus lib.12.* & *Dio lib.* LII. teſtantur, ne ſub potentiori præfecto, ut ſunt leves & mobiles Ægyptij, facilè ad res novas impellerentur, *Cujacius in Paratitl. C. de officio Præfecti Auguſtalis. Arnold. Clapmar. de Arcanis Rerumpublicarum lib.3. cap.3.*

XLIII. Hactenus de ijs magiſtratibus, quibus mixtum imperium datum, reſtat, ut quoque de ijs magiſtratibus, qui ſimplicem & ἁπλῶς ſic dictam juriſdictionem habuerint, diſpiciamus.

XLIV. Simplicicem juriſdictionem habebant magiſtratus municipales, (aliquo gradu ſaltem & mixtum imperium, vid. Dn. Præſ. *obſerv. de jurisd. n.7.*) ſanè in bonorum poſſeſſionem mittere non poterant, *l. ea quæ 26. D. ad Municip.* nec jus dicendæ mulctæ illis competebat. *l.3. C. de mod. mulctar. l. fin. C. defenſor. Civit. l.1. D. ſi jus dic. non obtemp.* Ant. Perez. *in prælect. ad tit. C. de magiſtrat. municipalib. n. 4.* Juriſdictio eorum, qualis tandem illa, levis erat, ſuisque incluſa limitibus & imperfecta, fereque omnis pendebat ex lege municipii, quin magiſtratus municipales potiſſimum circa adminiſtrationem municipij & Reipublicæ occupati erant *l.13. D. ad Municip.* Et quid multis? Ipſe ICtus Paulus *in l.26. D. ad Municipalem* juriſdictionem ſimplicem eos præprimis habuiſſe expreſsè teſtatur. *Ea,* inquiens, *quæ magis imperij, quam juriſdictionis, magiſtratus municipalis facere non poteſt.* Vnde patet jam (1.) nec in integrum reſtituere magiſtratus municipales poſſe. *d.l.26.* & (2.) ſequi videtur, ipſam reſtitutionem in integrum potius ad imperium, quàm juriſdictionem referendam eſſe, quæ tamen ſententia diſplicet ſubtiliſſimo alioquin ICto, *Bachovio in Animadverſ. ad Treutl. vol.1. Diſp.3. th.4. lit.c.* cujus opinio ex allegatâ *l.26. D. ad Municip.* videtur refutari poſſe. Si enim reſtitutio in integrum magis eſſet

D juris-

juriſdictionis quàm imperii, ſequeretur & magiſtratus municipales potuiſſe in integrum reſtituere. Conſequentia patet, quia magiſtratus municipalis, ea quæ juriſdictionis, facere poteſt, *l. hæc 26. in pr. D. ad Municip.* Atqui magiſtratus municipales in integrum reſtituere non poſſunt *d. l. 26.* E. Reſtitutio in integrum magis imperii quàm juriſdictionis eſt. Nec fortè officient ea, quæ prolixè ſatis in contrarium diſputat idem Bachovius, motus præprimis eâ ratione, quod nulla hîc interveniat coërcitio. Arbitrari liceret omnino intervenire, hic juſſum & poteſtatem: & ideò non tàm ad juriſdictionem referendam eſſe, quippe cum nec hîc jus dicat Prætor cauſamque inter litigantes decidat: verùm magis ad imperium, cum decernat, jubeat, & poteſtate utens reſtituat. Videtur aliud quoque non habere Bachovius, quod reponat ad adductam *l. 26. D. ad Municipalem*, quàm malè ibidem ex puris negativis colligi, reſtitutionem in integrum magis imperii eſſe quàm juriſdictionis, fieri enim ejuſmodi ſyllogiſmum vitioſum.

Magiſtratus municipalis, non poteſt, ea facere, quæ ſunt magis imperii, quàm juriſdictionis.

Magiſtratus municipalis non poteſt in integrum reſtituere.

E. Reſtituere in integrum eſt magis imperii, quàm juriſdictionis.

Verum enimvero Dd. mens non fuit ita argumentari, ſed iſti intenderunt Ulpianum rationem reddere voluiſſe, quare magiſtratus municipales non poſſint reſtituere in integrum. Ipſi etiam Bachovio alia veraque ratio eſt hæc, quia reſtitutio in integrum magis eſt imperii (poteſtatis excellentioris quàm ſunt ea quæ vulgò nomine juriſdictionis concedi ſolent) cujuſmodi & ſimplex juriſdictio quam habent magiſtratus municipales, vid. Dn. Præſ. *obſ. 1. de juriſd. n. 7.*

XLV. Rectè quoque ſe habet, quod *Bachovius*

d. th.

d. th. 4. lit. b. bonorum poſſesſionem, quam dat, decernitque prætor, juriſdictioni ſimplici adſcribit, nec hæc opinio ex eo divellitur, quod & municipalibus magiſtratibus facultas dandi bonorum poſſeſſionem competiiſſe, quam tamen expreſsè iis denegat JCtus in ſæpius adductâ *l. 26. D. ad Municipalem.* Cui Legi ſuffragatur *l. 3.* (quam legem clavem totius juriſdictionis materiæ appellat *Zaſius in d. l. 3.* quòd per ejus explicationem juris Civilis fontes aperiantur. *Lampadius de Republicâ Romano-Germanicâ part. 1. cap. 5.*) *D. de jurisdict.* ubi JCtus Vlpianus, *Mixtum*, ait, *imperium*, *cui etiam jurisdictio ineſt*, *quod in dandâ bonorum poſſeſſione conſiſtit.* Bachovius ut ſatisfaceret huic Legi cum Antonio Fabro ad correctionem textus ſe accingit, pro *quod* legens *qua*, ita ut juriſdictioni tribuat dationem poſſeſſionis bonorum. Neque malè hoc & contra fidem Codicis Florentini, nec præter rationem ac neceſſitatem. Neque enim ea imperio (quod jurisdictioni opponitur, ut *in l. 5. §. 1. d. t.*) adſcribenda *d. l. 26.* Neque datio illa bonorum poſſeſſionis, in effectu juſſui atque imperio conjuncta eſt, quam demum ſequatur auctoritas & coercitio magiſtratus. Etenim Prætor, dum uni petenti decernit poſſeſſionem, imperio nullo utitur, ſed juriſdictione ſimplici ac cognitione.

XLVI. Ex modo adductis apparet Decurionibus, qui Curiæ ſuæ in municipiis, civitatibus, oppidis, vicis, ſenatores quodammodo erant, juriſdictionem ſimplicem competiiſſe. In Decurionibus hiſce, vires, nervos, animam & radicem civitatum conſtitiſſe certiſſimum eſt, quâ de re extant egregii Libanii loci *Orat.* περὶ τῶν προστασιῶν *p. 10. in Juliani necem p. 297.* inſignis quoque de iis eſt locus apud *Caſſiodorum 2. Variar.* quibus adde, quæ de illorum officiis & privilegiis tradit *Guid. Pancirolus in libello. de magiſtrat. municip.*

 XLVII. Sim-

XLVII. Simplicem quoque juriſdictionem in ſingulis Civitatibus, ac municipiis habebant Deſenſores Civitatum, apud quos quietæ & innocenti ruſticitati in pecuniariis cauſis litigandi erat facultas *l. 3. C. de Defenſoribus Civitatum*, reliquorum verò civium cauſas olim uſque ad quinquaginta *l. 1. C. eod.* poſtmodum uſque ad trecentos aureos iidem dijudicabant *Novell. 15. c. 3.* mulctas infligere non poterant, nec ſæviores exercere quæſtiones. *L. 5. C. eodem.* Eligebantur autem Deſenſores, quicunque idonei, nec intererat, ex decutionum ſeu cohortalium corpore eſſent, an non. Officium eorum erat, plebem vel decuriones ab omni improborum inſolentiâ & temeritate tueri *l. 5. C. de Defenſor. Civitat.* latrones per omnes regiones inveſtigare. *l. 6. C. eod.* quâ in re ſimiles erant Irenarchis, de quibus *l 16. D. de cuſtodiâ reorum*, & latrunculatoribus, item Diocmitis militibus, de quibus *Ammianus Marcellinus lib.* XXVII. de Muſonij vicarij Aſiæ expeditione contra Iſauros prædones agens, & *Capitolinus in vitâ M. Antonini Philoſophi, ibique Iſaacus Caſaubonus in Notis.*

XLIIX. Hæc jam fuit forma Reipublicæ Romanæ, hæc poteſtas & juriſdictio ſingulorum ferè magiſtratuum ſub Impp. Reſtat modo, ut quouſq; magiſtratuum illa nomina unâ cum juriſdictione duraverint, ac demum evanuerint, exponamus.

XLIX. Manſerunt itaque magiſtratus illi Romani, una cum ſuâ, uti â nobis expoſitum, juriſdictione, ac poteſtate, non tantùm ad tempora Juſtiniani, ſed etiam ſubſequentium Imperatorum; & licet paulò ante Juſtiniani tempora mira Italiæ facies eſſet, ac ipſa adeo Roma ſedes imperii, ac caput orbis terrarum *l. 3. C. de Coſſ.* in barbarorum manus perveniſſet, adhuc tamen magiſtratibus præmemoratis ſua manſit dignitas.

L. Quanquam enim Odoacer Herulorum Rex, te-

ſtibus

ſtibus *Sabellico & Sebaſt. Munſtero lib. 2. Coſmograph. pag. 741.* velut alii Rugiorum, *Albert Crantz. lib. 1. Wandalic. cap. 17.* ingreſſus Romam, ſe imperatorem Romæ ac Italiæ nominaverit, quin etiam Romam Odoacriam in poſterum vocari voluerit, & leges Romanis tulerit. *Vid. Carolum Molinæum tr. de Abuſib. Papar. pag. 186.* imperium tamen ejus haud diuturnum fuit: Victus enim a Theodorico OſtroGothorum rege (qui ab imperatore Zenone in Italiam miſſus) duobus prœliis commiſſis, altero ad Aquileiam, altero ad Padum, ipſe Ravennâ incluſus, & triennio obſeſſus demum à Theodorico interfectus eſt, teſtante id *Jordano Epiſcopo Ravennatenſi in Chronico de Origine gentis Gothorum.*

LI. Hic ipſe Theodoricus Rex adeo nihil immutavit quoàd magiſtratus Romanos, eorumque poteſtatem ac juriſdictionem, ut etiam auxerit valdè, ac ampliorem & illuſtriorem reddiderit eam, quod teſtantur elegantiſſima illa præmemorati Regis reſcripta, quæ collegit ac congeſſit libris *12. M. Aurelius Caſſiodorus*, qui primùm Cancellarius hujus Regis, ac Romanæ urbis conſul fuit, poſtea contemptis vanis ſeculi honoribus, Monachus, & Abbas Cænobii apud urbem Revennatenſem factus fuit, vir judicio *Joannis Trithememij de ſcriptoribus eccleſiaſticis*, in divinis ſcripturis valdè doctus, & in ſecularibus literis; omnium facilè eruditiſſimus, non minus ſanctitate, quàm ſcientiâ clariſſimus.

LII. Theodorico fato functo ſucceſſit Theodatus, adverſus quem à Juſtiniano tùm imperatore miſſus Beliſarius, qui felici ſucceſſu recuperatâ Sicilia Italiam ingreſſus Neapolim occupavit. Hunc Theodatum, cum deſidem & à majoribus degenerantem viderent Gothi, electo Vitige eum interſecerunt, qui Vitiges poſtquam ſexa-

gies ſepties dimicatum fuiſſet, demum à Beliſario captus fuit.

LIII. Quamvis verò Totila penultimus Gothorum in Italiâ Rex, magnis conatibus nutantem Gothorum fortunam reſtauraret, tamen fatis inſtantibus infelici ſucceſſu cuncta ceſſerunt. Narſes enim receptâ Româ Totilam prælio vicit, quem fugientem Gepida Aſpadus ſecutus vulneratum in caſtra perduxit, victo poſtmodum à Narſete Thea ultimo Gothorum Rege, tota Italiâ exacti ſunt Gothi, eaque in poteſtatem glorioſiſſimi Imperatoris Juſtiniani redactâ.

LIV. Juſtinianus Imperator, igitur rerum potitus, de novo poſtliminio, magiſtratus, ſi qui durante hâc Italiæ vaſtatione, ac tyrannide Gothorum (quam venerabiles vires abſciſſis radicitus linguis expoſuiſſe memorat Imperator *in l.1.inpr.C. de offic. Præfect. præt. Africæ*) poteſtatem priſtinam, dignitatemque poſuerant, reduxit. Notatum à nobis tale quid ſupra de Præfecto Vigilum. Evanuerat enim penè iſta dignitas, & contemptui erat, licet ſub Theodorico rege eam adhuc floruiſſe Caſſiodorus auctor ſit.

LV. Manſerunt porro pleræque hæ dignitates poſt Juſtiniani tempora penè uſque ad fatalem Orientis à Turcâ vaſtationem, qui occupatâ demum regiâ Conſtantinopoli finem orientali imperio impoſuit.

LVI. Occidentale imperium ſuſtinuit, ac propugnavit Carolus verè ille Magnus, Galliæ Rex, quem ſecuti ſucceſſores imperij dignitatem, hactenus, quoad potuerunt, conſervarunt.

LVII. Operæ pretium & hoc loco erit exponere, qui nam Caroli Magni, & ſubſequentium Imperatorum temporibus in Imperio Germanico poteſtatem & omnimodam

modam juriſdictionem habuerint, ac quomodo tàm de criminalibus, quàm civilibus cognoſcendi poteſtas pedetentim ad Comites Duces, quin etiam Eccleſiaſticos magiſtratus ſit translata, & ab iis jure quodam hereditario vindicata.

LIIX. Ac primò quidem ut à Caroli M. ætate ac ſequenti ordiamur, fuit tùm duplex magiſtratus, alius eccleſiaſticus, quem gerebant Epiſcopi circa ſacra occupati; alius ſecularis, isque vel ordinarius judicum, vel extraordinarius Legatorum. Et ut nihil jam dicamus de Eccleſiaſtico, quod ſeculares magiſtrátus eosque ordinarios attinet, judices erant, Graviones ſeu Comites, qui poteſtate magnâ præditi erant, quæ tamen nòn propria, ſed vicaria erat. Conſiſtebat autem potiſſimum eorum officium in jure dicendo, uti ex diplomate quodam Caroli Magni probat *Henricus Meibomius in Vindiciis Billinganis. ibi* Quapropter in illâ parte Saxoniæ (ſcilicet Weſtphaliâ) Trutmannum virum illuſtrem, ibidem Comitem ordinamus, ut reſideat in Curte, ad campos, in mallo (id eſt judicio) publico ad univerſorum cauſas audiendas, vel recta judicia terminanda, isque advocatum omnium presbyterorum in tota Saxoniâ fideliter agat, ſuperque vicarios & Scabinos, quos ſub ſe habet, diligenter inquirat, & animadvertat, ita ut officia ſua ſedulò peragant. Idem Comitibus imponunt Capitula Caroli & Ludovici. Scabini, quorum mentionem facit adductum ex Meibomio Caroli M. diploma, erant aſſeſſores, & quidem ex plebe electi, Germanis Schöpfen / hi ipſi Scabini adſidebant Comitibus, ſimulque ſententiam ſuam exponebant, quod ex chartâ veteri Alemannicâ apud *Goldaſt.* liquet, ibi Interrogavit ipſe Comes illos Scabinos, quid illi de hâc cauſâ judicare voluiſſent.

LIX. Co-

LIX. Comites autem perquam multos ipſum Carolum Magnum in Germaniâ ordinaſſe, hiſtoriæ illorum temporum loquuntur. Hi ipſi Comites etiam Graphiones dicti *Paulo Diacono teſte Hiſtoria Longobargorum quinto*, & inde ortæ variæ Graphionnm, à locis, quibus præerant appellationes, alij enim dicti Landgravii id eſt Provinciæ Comites, ſive judices, alij Marchgravij limitis comites, de quibus *Albertus Crantzius lib. 3. Wandalicorum cap. 16. In annalibus*, ait, *nullam ejus verbi legimus mentionem ante primnm Henricum Saxonem Romanorum regem: qui primus domitis Danis ad oppidum Sleſvvicum, cum eo tranſtuliſſet Saxonum coloniam, impoſuit regioni præſidem, quem appellavit Marchionem: & illi regendos, tuendosque regni limites impoſuit, provinciam, quaſi duci limitaneo.* Alij porro appellati Pfaltzgravij, Palatij Comites, qui & majores domus & præfecti rectoreſque Palatij dicti, ut *Eginhardus*, *Iornandes*, *Annonius*, alijque ſcribunt, alij Burgravij arcis præſidijve Comites vel Iudices, ut *Hugo Grotius de ant. Reip. Batav. c. 5.* loquitur, alii denique Gogravii & Dingravii, judices pedanei. Horum Comitum vel Graphionum ad juſtitiam populo faciendam, ut ſupra dixi, olim quàm plurimi erant, & in dies plures conſtituti. De Carolo M. *Annonius 5. c. 1. Carolus*, inquit, *ordinavit per totam Aquitaniam Comites, abbatesque nec non alios plurimos, quos Vaſſos vulgo vocant.* Notandum hic, nonnunquam in hiſtoriis, uti h. l. Abbates accipi pro nobilibus. *Suidegerus in Chronicis Franciæ Gallicis. Abbates*, inquit, *in antiquis hiſtoriis non ſunt monachi, vel religioſi, ſed Barones, magnatesque ſeculares, quibus abbatias, vel monaſteria Princeps dat ad tempus vel quoad vixerint.*

LX. Comites autem hi, ut propius ad rem ipſorumque poteſtatem accedamus, non ſolum juridicundo vacabant,

ctabant, ſed etiam *criminalem* exercebant *juriſdictionem* in ſuo mallo ſeu judicio. Dilucidè id probatur ex præcepto Remiſſionis, ſive conceſſionis factæ à Ludovico Imperatore Hiſpanis, ibi: ipſi pro majoribus cauſis, ſicut ſunt homicidia, raptus, incendia, deprædationes, membrorum amputationes, furta, latrocinia, alienarum rerum invaſiones, & undecunque à vicino ſuo criminaliter fuerint accuſati, & ad placitum venire juſſi ad Comitis ſui mallum omnimodo venire non recuſent. Hactenus verba Remiſſionis. Conſtat præterea Comites proſcripſiſſe pro re natâ refractarios.

LXI. Non autem tàm ampliſſimam habebant judicandi poteſtatem Comites hi, quin non, ſi ſe gravatos putarent litigantes, provocare poſſent ad regem, tanquam judicem ſupremum: quin imo ſuperfuit ejuſcemodi provocatio etiam altera ad Miſſos aut legatos regios, quos extraordinarios judices fuiſſe ſupra indicavimus. Expreſsè id tradit *Vadianus L. de Collegiis & monaſteriis Germaniæ veteribus.* Ad Miſſos provocare adverſus Comitum vel negligentiam, vel illatam injuriam, etiam plebi licebat, actione hinc datâ conceſsâque, qui ſe neglectum, fraudatùmve, aut iniquius à Comite tractatum quereretur. Iiſdem Miſſis illis *inquirendi poteſtas* conceſſa erat in omnes mores eorum, qui populo præerant, non tantùm Comitum, ſed etiam Epiſcoporum.

LXII. In ipſomet etiam Regio Palatio, itidem fuere cauſæ judicatæ, & quidem partim per ipſum Regem, partim per Comitem Palatij, cauſæ appellationum autem præprimis eo devolutæ. Præterea ad Regis judiciũ pertinebant omnes cauſæ, etiam minores, inter Epiſcopos, Abbates, Comites, & potentiores quoſque controverſæ, De Carolo Magno *Eginbardus in vitâ ejus. Cum calcearetur & amiciretur non tantùm Comites admittebat, verum etiam ſi Co-*

 mes

mes Palatij litem aliquam eſſe diceret, quæ ſine ejus juſſu definiri non poſſet, ſtatim litigantes introduci juſſit, & veluti pro tribunali ſedens, lite cognitâ ſententiam dixit.

LXIII. Quod Comitem Palatij attinet, ampliſſima ejus in aulâ & palatio *jurudictio* erat, ingens auctoritas, & ſumma poteſtas, quam ab ipſo Rege proximam fuiſſe Aimonius & alii Francici ſcriptores indicant. *Marquard. Freher. elegantiſſimo Commentario Originum Palatinarum cap. 1. p. 4.* qui exiſtimat Comitem Palatii Præfecto Prætorio apud veteres Romanos minorem non fuiſſe. Non tantùm, tradit idem, inter officiales & Palatinos cæteros cognitionem ejus propriam fuiſſe, ſed & ſubditorum quorumvis deſideria audiviſſe, cauſasque quaſi ſacrâ vice illum examinaſſe, idque teſtantur *VValafridus, Strabo & Eginhardus*, quin inter alia notatu dignum, quod & Saxoniæ Ducibus olim Palatini titulus ſit tributus, uti ex *VVitichindo* aliiſq; annotat *Hubertus Thomas Leodius in Commentat. de orig. Palatinorum.* Palatinos verò ad Rhenum inter Palatinos ſupremum gradum obtinuſſe tradit *Marquard. Freber. dict. Comment. Orig. Palatin. cap.*

LXIV. Ad Comitem hunc Palatii delatæ cauſæ, duorum potiſſimum generum fuerunt, aliæ, quæ alibi decidi non potuerunt, per provocationem partium litigantium: aliæ circa ipſum Palatium regium, hoc. eſt in aulâ enatæ. Præclarè de officio Comitis hujus *Hincmarus Rhemenſis ArchiEpiſcopus.* Comes Palatii, ait, de omnibus ſecularibus cauſis, vel judiciis ſuſcipiendis curã inſtanter habebat, ut nec ſeculares prius Dominum Regẽ abſq; ejus conſultu inquietare nec eſſe haberent, quouſq; ille prævidere, ſi neceſſitas eſſet, ut cauſa ante Regem meritò venire deberet. Sic Hinckmarus. Hujuſmodi dignitatem primũ omnium geſſiſſe Rolandum Caroli M. ex ſorore nepotem *Hubertus*

bertus Thomas Leodius Commentat. de Palatinor. orig. pag. 8. auctor eſt, ubi apud Blaviam in Xantonibus Rolandi ſepulchro inſcriptum fuiſſe narrat, fuiſſe hunc primum Comitem Palatinum.

LXV. Atque hi ipſi fuêre, qui Caroli M. Ludovici Pij, & ſubſequentium aliquot Imperatorum tempore *jurisdictionē* in Imperio Germanico habuêre, quorum tamen juriſdictio ac poteſtas precaria, & temporanea fuit, non uti hodiè, hereditaria. teſtatur id *Vadianus d. Coll. & monaſt. Germ. apud Lehmann. Chron. Spirenſ. lib.* 2. idem tradit, ac eleganter proſequitur *Bodinus lib. 3. de Republicâ cap. 5.* Confirmat hanc ſententiam *§. 2. 1. FF. 1.* ubi Fendiſta tradit, antiquiſſimis temporibus rem inſendum datam, ſic fuiſſe in Dominorum poteſtate, ut quandocunque vellent, eam auferre potuerint. Quod demum à Conrado Salico, ſive Franco, ut *Ottho Friſing. lib. Chronic. 6. cap. 28.* eum vocat, ſeu potius à Lothario I. Caroli Magni nepote, ut *Hottomannus in Commentario feudali ad addictum Feudiſtæ locum* exiſtimat, mutatum, ita, ut feuda ad nepotes ex filio tranſirent. Equidem de Henrico V. Imperatore, tale quid narrat *M. Cyriacus* Spangenberg in der Schawenburgiſchen Chronicke *lib. 1. cap. 5.* da hat/ inquit, der Newe Keyſer Heinrich der 5. Graffen Ludern von Süpplenburg und Northeim/ Edlen Herrn von Quernfurt/ mit dem Hertzogthumb und der ChurSachſen/ und mit denen Ländereen dieſſeit und ienſeit der Elbe erblich belehnet. Eundem hunc Luderum poſt Lotharium vocatum, ac imperatorem factum, contuliſſe ac dediſſe Comitatum Holſatiæ, Wagriæ & Stormariæ vacantem, abſque heredibus Nobili viro Domino Adolpho Comiti de Schavvenburg, idem Spangenberg *d. l. pag.* 17. tradit, & ante eum *Peucerus.* Eo (Godefrido ſcilicet, qui ultimus dictarum provinciarum Comes) obtruncato à

Vandalis, Lotharius Holſatiam ſubdidit Adolpho Comiti Schavvenburgico &c.

LXVI. Videamus conſequenter, quomodo tàm de *criminalibus* quàm *civilibus* cognoſcendi *poteſtas* ad Duces tranſierit, ijque poſtmodum eam hereditario quodam jure ſibi vindicarint. Antequam autem nos eos accingamus, ſciendum, quod ea Ducum poteſtas ab antiquâ illâ, quæ ante Caroli M. tempora ipſis competiit diſcernenda, quare hîc paucis de antiquæ Germaniæ ducibus, qui ante Caroli M. tempora fuêre, eorumque officio ac poteſtate agere lubet.

LXVII. Ducum igitur Germaniæ antiquæ officium atque dignitatem *bellicam* fuiſſe, nos docet apprimè *Iulius Cæſar l. 6. de bell. Gall.* Cui jungendus *C. Cornelius Tacitus elegantiſſimo de moribus Germanorum libello*, qui de illis in hunc modum: Reges, ait, ex nobilitate, Duces ex virtute ſumunt. Nec Regibus infinita aut libera poteſtas: & Duces exemplo potius, quàm imperio, ſi prompti, ſi conſpicui, ſi ante aciem agant, admiratione præſunt. Hæc Tacitus. Circa *poteſtatem* ac *jurisdictionem* illorum Ducum, non conveniunt iidem Iulius Cæſar, & Tacitus: Ille *poteſtatē vitæ & necis* illis tribuit in ſibi addictos, hic verò d.l. id prorſus negat. Cæterùm, inquit, neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, niſi ſacerdotibus permiſſum: non quaſi in pœnam, nec Ducis juſſu, ſed velut Deo imperante. Quid ad tantam ſcriptorum iſtorum diſcrepantiam dicendum? Tacito majorem adhibeo fidem, non tam idcirco, quaſi ipſi res Germanicæ magis perſpectæ fuerint, ſed potius quia non veriſimilè ejuſmodi temporario Duci plus Germanos tribuiſſe, quàm perpetuo belli Duci ſeu Regi, cujus tamen poteſtas, quàm exiguis alioquin circumſcripta limitibus fuerit, exponit *Cæſar lib. 7. de Bell. Gallic.*

LXVIII.

LXIIX. Hos ipſos Ducatus Carolum Magnum devictâ Saxoniâ aboleviſſe & in Comitatus transformaſſe conſtat. *Vide Lehmannum lib. 2. cap. 16. 21. 22. 23.* qui tamen ultimis Carolinorum temporibus iterum inſtituti. De Ottone Magno, ut de cæteris nihil dicamus, ejuſmodi quid tradit *M. Adam. in vita Adalgagi hiſtor. Eccleſ. lib. 2. cap. 4.* Cum Rex, ait, victorioſiſſimus Otto ad liberandam ſedem Apoſtolicam vocaretur in Italiam, conſilium habuit, quem poſt ſe vicarium poteſtatis, ad faciendam juſtitiam relinqueret, in his partibus quæ barbaris confines ſunt termini. Nondum enim poſt tempora Caroli propter veteres illius gentis ſeditiones, Saxonia Ducem accepit niſi Cæſarem. Quâ neceſſitate Rex perſuaſus Hermanno primum tutelæ vicem in Saxoniâ commiſit, Hunc Hermannum ipſum Saxoniæ Ducatum deindemeruiſſe, paulo póſt idem narrat, Idem ijſdem penè verbis referunt *Helmold. Chron. Slavor. lib. 1. cap. 10. & Albert. Abb. Stad. Chron. ad Ann. Dom. 961.*

LXIX. Porro ultimis Carolinorum temporibus quinque præprimis Ducatus habebat Germania, Bojaricum, Suevicum, Francicum, Lotharingicum & Saxonicum, quorum duces eô tandem potentiæ pervenere, ut de provincijs proprio jure ſibi attribuendis cogitarint. Dilucidè id apparet ex *Sigeberto A. 914.* ubi exponit, contra Conradum Regem potentiores regni principes rebellionem meditatos eſſe, ſcilicet Arnoldum de Bojariâ, Burchardum de Sueviâ, Eberhardum de Franciâ, Gibertum de Lotharingiâ, & horum omnium præcellentiorem Henricum Ducem de Saxoniâ & Thüringiâ.

LXX. Quamvis autem poſtmodum Imperatores nimiam illam Ducum potentiam coercere, & imperium eorum rurſus in ordinem redigere ſtrenuè laborarint,

ſruſtra tamen hoc tentarunt, utpote nimis ſerò rem aggredientes, radicatâ jam eorum potentiâ, quæ deinde in dies magis magiſque accrevit, adeò ut commiſſas ſibi provincias hereditario quodam jure ad ſe pertinere contenderent, ſibique eaſdem vindicarent. *Luit pran. lib. II. c. VI.* Idem planè contigit cum Comitibus.

LXXI. Hactenus de Comitum ac Ducum juriſdictione ac poteſtate. *Eccleſiaſtica Imperia* vel *magiſtratus* quantum attinet, reſpectu ditionum ſecularium, quibus ſeſe ingreſſerunt, notatum eſto, quod ſub Ottone Magno præprimis cœperit eorum authoritas, quo ad jura & juriſdictionem in ſecularibus. Primus eorum omnium fuit Bruno ArchiEpiſcopus Colonienſis, frater Ottonis Magni, qui facillimè obtinere poterat *ſecularem poteſtatem* ab Imperatore, cujus frater erat. *Lehman.* in der Speiriſchen Chronick *l. 4. cap. 4. & in Chronic. Erfurt. leguntur hæc emphatica*: da begunten zuerſt die Biſchoffe weltliche Rechte zuhalten/ das dauchte damahls unbillig manchem Mann. Idem habetur *in Chron. Iuri VVeichbildico præmiſſo.* ibi: An denſelben begunten die Biſchoffe weltliche Gerichte zu haben/ und zurichten/ und das fieng erſtlich an ſein Bruder Bruno zu Cöln / und Biſchoff Giſeler zu Magdeburg befahl Keyſer Otto das Hertzogthumb an der Elbe zu Schartau. *Auctor Chronici Belgici Magni:* Ante hæc ſua (Brunonis ſcilicet) tempora ArchiEpiſcopi Colonienſes non judicijs gladij temporalis,ſed tãtummodo juriſdictione uſi fuerũt baculi paſtoralis. Et licet *VVitichindus lib. 1.* idem, tanquam rem inſolitam exponens, Samuelis exemplo, qui ſacerdos, juxta ac judex erat excuſet, maxima tamen inde damna Eccleſiæ illata fuiſſe in cõfeſſo eſt, idq; rectè obſervavit. *M. VVeſſelus Groningenſis in tract. de dignitate, & poteſtate eccleſiaſticâ cap. 5. apud Melchiorem Goldaſtum Haimsfeldium in Monarch.*

narch. S. Rom. Imp. pag. 564. Hinc *Ferdinand. Vaſq. de Præſcript. lib. 2, cap. 89. n. 8.* Eccleſia, inquit, Orientalis ob paupertatem nimiam evanuit, Occidentalis copiâ nimiâque affluentiâ evaneſcet.

LXXII. Ex hiſce conſtat, quo pacto quâ occaſione Eccleſiaſtici Status reſpectu ſecularium bonorum aſcenderint ad tanta rerum faſtigia, inter Proceres imperii translati, unde eorum ſeſſiones præcedentia, vota in Comitiis imperij. Quamobrem non aliud inde conſequens naſci poterat, quàm ut reſpectu dominiorum ſecularium recognoſcerent Cæſarem, ut caput, vel fontem, unde bona ejuſmodi una cum ſuis acceſſorijs, dignitatibus, & juribus inde dependentibus defluxiſſent, quam ſententiam tuetur, ac eleganter exponit, vir rerum Cameralium ac imperij ſcientiſſimus *Andreas Gailius 1. obſ. 30. n. 1. 2. 3. 4. 8. &c. Idem de Pac. publ. 1. cap. 8. n. 8. cui adſtipulatur Andreas Knichen in Commentat. de Sax. non provoc. jur. verb. Ducum Saxoniæ cap. 2. n. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & ſeqq. Author. incertus Conſultationis Catholicæ pro Pace perpetuâ Proteſtantibus danda hypotheſ. 6.*

LXXIII. Ex his & alijs plus quàm manifeſtum evadit (1.) contra Eccleſiaſticos, tanquam imperii Principes & Status, Citationem ſuper turbatâ & ſpoliatâ poſſeſſione decerni poſſe. *Gail. 1 de P. P. c. 8. n. 10.* quod non tantùm in cauſis fractæ pacis vel ſpolii, ſed etiam in cauſis pignorationum, arreſtorum, litigioſæ poſſeſſionis, & alijs Imperii Conſtitutionibus locum ſibi vindicat: *(2.)* de hujuſmodi ſecularibus bonis contributiones ac collectas imperii ſolvendas: quin Fiſcalem Cameræ in caſum contumaciæ contra eos procedere, ac abſolutionem legitimis juris remediis eos compellere poſſe conſtat (3.) Eccleſiaſticos iiſdem bonis ſecularibus ab Imperatore privari, ſi gravi-

tas

tàs delicti id expoſcat, poſſe. *Vide Aventin. lib. 6. Annal. Bojor. Gold. tom. 1. Conſt. Imp. pag. 251.* Idem pluribus eruditè expoſuit Clariſſimus vir *Otto Iohannes VVitteius ICtus eximius ac Sereniſſimi Principis Chriſtiani Ludovici conſiliarius, affinis meus pl. honorandus in Diſcuſſione ſuâ Iudicij Theologici, ſuper Quæſtione, An pax, qualem deſiderant Proteſtantes, ſit ſecundum ſe illicita? contra Erneſtum de Euſebiis* (4) Feuda ejuſmodi Eccleſiaſticis conceſſa aperta imperio non ad Pontificem ſed Imperatorem glorioſiſſimum pertinere. Patet id ex mandato Imperatoris Rudolphi 2. ad capitulum Argentoranenſe 8. Maji. Anno 1592. Vide de bonis ejuſmodi Eccleſiæ *Auguſtinum in tract. 6. cap. 1. in Iohann. cujus ſententia relata in c. quo jure. diſt. 8. Baronium tom 12. Annal. ad Ann. 1186.* ubi refert, Moguntinum nomine omnium Epiſcoporum ad Fridericum Imperatorem ſcripſiſſe: Vobis quem Deus Principem & Imperatorem Romani orbis exaltavit, cui nominium fecimus, à quo temporalia poſſidemus ad aſſequendas omnes juſtitias veſtras, jure tenemur aſſiſtere. (5) à ſententiis Epiſcoporum, Archi Epiſcoporum, Abbatum provocari ad Cameram vel Cæſarem. *Gail. 1. Obſervat. 30. n. 2.* Ab hiſce verò ad Pontificem appellari poſſe negamus, quin graviter in eoſdem animadverſum fuiſſe, latiſſimè demonſtravit *Autor* dero gründlichen *Information Iuris & fact in* Sachen Hildeßheim *contra* Braunſchweig *cap. 4. à pag. 113. uſque ad pag. 211.* Idque, ut alia prætereamus, clariſſimè apparet ac probatur ex mandato Friderici 3. Imperatoris de d. 6. Novemb. Anno 1476. ad Epiſcopum Halberſtadienſem, qui cum à præcepto Cæſaris Romani ad Pontificem appellaſſet, imponitur eidem præmemorato decreto, ſub pœnâ privationis omnium Regalium & privilegiorum ab imperatore dependentium, intra 15. dies poſt inſinuationem ab ejuſmodi

appel-

appellatione deſiſtere. In eodem decreto adducitur, daß dadurch dem Reich und der Kayſerlichen Majeſt. ſeine Obrigkeit und Gerechtigkeit entzogen würde. Quin appellans à ſententiis Cameræ ad Pontificem etiam in causâ piâ, & tutelari, tanquam contemptor juriſdictionis Cæſaris & imperij 100. marcis auri puri mulctatur, uti deciſum in Camerâ Anno 1512. 20. Februarij: ſententia extat apud *Seilerum in ſuis ſententiis Cameralibus ſub Anno 1512. 20. Februarij Vid. Reinckingk. de R. S. & E. lib. 1. Claſſ. 2. cap 3. 4. & 5. Sebaſt. Nav. in Syſt. jur. adl. 3 D. Quis & à quo appellet. Parentem meum dilectiſſimum. in tract. de jur. & reditib. fiſc. S. R. Imp. part. 2. cap. 7.*

LXXIV. Poſteaquam igitur, tùm Principes ſeculares; tùm Eccleſiaſtici, duplicem perſonam in Imperio ſuſtinentes, eccleſiaſticam nimirum & ſecularem, *Panorm. in C. per Venerabilem n. 13. Qui filij ſunt legitimi. Franciſcus Duarenus de ſacris Eccleſiæ miniſteriis ac beneficiis lib. 1. cap. 4. Sixtin. de Regalibus lib. 1. cap. 4. n. 122. 123.* ipſa regalia, nec non ſupremum in regno ſuo imperium ac juriſdictionem, jure ſuperioritatis perpetuo ac hereditario, cum nomine ac dignitate Ducum, Marchionum, Comitum ſibi vindicare cæperunt, orta ſunt demum jura illa, quæ vocantur territorialia die Lands Obrigkeit unnd ſonderbahre Hoheit, Quæ faciunt, ut Principum quilibet tantùm poſſit in ſuo territorio quoad ſubditos ſuos, quantum Imperator in imperio: Quod tamen vulgare axioma, quatenus accipiendum ſit, latè explicat *Reinckingk. de R. S. & E. lib. 1. Claſſ. 5. cap. 6. per tot.*

LXXV. Ab iiſdem Imperij principibus cum pedetentim jura Majeſtatis, quæ ſoli Imperatori quoad imperim olim competebant, ſint uſurpata, iiſdemque communicata, ſequitur hodiernum Imperij ſtatum non amplius

pſius Monarchicum eſſe, quod tamen operosè contendit Politicus aliàs hujus ſeculi egregius *Theodorus Reinckingius de R. S. & E. lib. 1. Claſſ. 1. cap. 2.* nec tamen purè Ariſtocraticum, ut *Bodinus lib. 2. de Republ. cap. 6.* exiſtimat. Nos ſtatum imperii modernum ex Monarchiâ & Ariſtocratiâ mixtum eſſe ſtatuimus, ita ut Monarchia prævaleat, non Ariſtocratia, uti putat *Cl. vir. Limnæus de Iure Publico lib. 1. cap. 10. pag. 154.* Hodiernum, inquiens imperium Romano-Germanicum, imperium mixtum ex Monarchiâ & Ariſtocratiâ eſſe arbitramur, ita tamen ut Ariſtocratiæ lumen clarius apparere ſtatuamus. Videatur *Dn.* Gottlieb *de Hagen Conſiliarius & Legatus Regis Daniæ, fautor noſter colendiſſimus in tr. cui titulus Splendor imperij Romani contra Toſſonum.*

LXXVI. Quod ſtatus hodiernus Imperii Monarchicus non ſit, ſed potius, ut diximus mixtus ex Monarchiâ & Ariſtocratiâ, patet exinde, quod jura Majeſtatis, quæ in regno ac Monarchiâ ſoli Regi competunt, ſine Statuum Imperii conſenſu Imperator exercere non poſſit, unde ita argumentamur. Penes quem ſuns jura majeſtatis, penes eum ipſa imperii majeſtas eſt. Atqui penes univerſos imperii ſtatus pleraque ſunt jura majeſtatis. E. penes eosdem ipſa imperii majeſtas eſt. Major plana eſt. Abſurdum enim foret, in aliorum poteſtate majeſtatem imperii, in aliorum poteſtate jura majeſtatis eſſe. Minor *vel ex Inſtrum. Pac. artic. 8.* ſatis clara eſt, etiam per inductionem probatur, nec enim Imperator (1.) ſine Statuum Imperii conſenſu univerſalem Imperii legem condere poteſt. Vnde ſolenne ſingulis ferè capitibus, quæ in deliberationem propoſita fuere hanc clauſulam adiici: Quod inter Cæſarem & Ordines ultro citroque ita fuerit conventum, veluti *in Decreto Maximiliani I. Anno 1497. & in Ordinat. Regimenti de Anno 1500. Idem repetitum in De-*

creto

creto Spirenſi de Anno 1526. item in Decreto Auguſtano de Anno 1548. nec non Anno 1551. nec (2.) bellum gerere, *Capitulat. Caroli V. apud Sleidanum lib. 1. Capitulat. Ferdinandi III. art. 16.* nec (3.) fœdera ſine conſenſu Statuum pangere, *Capitulat. Ferdinandi III. Imper. art. VII.* nec (4) poteſtas circa Religionem ad ſolius Imperatoris arbitrium pertinet, ſed potius ſingulis Imperii ſtatibus vigore ſuperioritatis territorialis competit, teſtante *Pacificatione Religioſâ de Anno 1555.* nec (5.) Imperator nova vectigalia ſine Electorum conſenſu inſtituere poteſt, teſtantibus *R. I. de Anno 576. Ratisbonæ publicato §. incipiente* Weiter ſind. *Capitulat. Caroli V. apud Goldaſtum* in Reichs Satzungen *p. 2. pag. 183. art. 18. Capitulat. Ferdinandi III. art. 20. Inſtrument. Pac. art. 9.* nec vetera augere, quia auctio veterum & conſtitutio novorum pari paſſu ambulant, recepto jure, per ea quæ notat *Roſenthal. in Synopſi Iur. Feudal. de Regalibus agens Capit. 5. Concluſ. 44. num. 8. cui adſtipulantur VVaremundus de Erenbergk. tr. de regni ſubſidiis ac oneribus ſubditorum cap. 6. pag. 77. parens meus dilectiſſimus Chriſtophorus Cruſius tract. de indiciis delictorum part. 3. cap. 22. pag. 153. ubi eleganter hâc de re egit. Idem. tract. de jure & reditibus fiſci cap. 2. & 3.* R. A. *1576. §.* Weiters ſeynd auch wir ibi: zu Waſſer und zu Lande theils newe Zoll anzuſtellen/ theils jhre alte Zoll zu erſteigeren angefangen *Denaiſ. de Iur. Camer. tit. 321.* Quin (7.) nec provocationem ſoli Imperatori competere haud improbabiliter dixeris. Conſtat enim ab Imperatore ad Palatinum fuiſſe provocatum. Quemadmodum Fridericus Burgravius Noribergenſis à ſententiâ Caroli IV. Rupertum Palatinum appellavit; qui etiam appellationem ſuſcepit, ſententiamque ab Imperatore latam reformavit, vti reſtatur das Bedencken / ob die Churf. Pfaltz in cauſis gravatoriis des Keyſers Richter ſeyn könne. *Hyppolithus à Lapide*

pide de Ratione Status part. 1. cap. 5. pag. 92. Notiſſimum denique (8.) eſt, quod Imperator conveniri queat coram Electore Palatino ex *Tit. 5. A. B. ubi Buxtorff. Concluſ. 66.* Quin quod majus (9.) interdum ab officio removeri, univerſorum tamen Electorum conſenſu. *VVilbelm. Anton. à Freundeberg. in Corollariis annexis tractatui de moratoriis reſcriptis Sect. 4. Coroll. 2.* Hujus rei, ut alia prætereamus, exemplum habemus in Wenceslao, qui cum prorſus inutilis imperio eſſet, teſte *Trithemio in Chron. Spanhem. ad Annum 1400.* ab Electoribus, cæteriſque imperii ſtatibus per ſententiam, imperio privatus fuit; Vide *Author. Relationis de Conſtitutione Romani Imperii apud Honorium*, ubi eam ſententiam in Campo Brubacenſi ad Rhenum in Epiſcopatu Trevirenſi latam memorat, his verbis: *Et per publicare queſta ſentenza*, ait, *fu fatto un Tribunale nella Campagna di Brubach appreſſo il fiume Renonel Veſcovato di Treveri, & ragunoſſi tutto l' Imperio nell anno Signo 1400. alli venti del Meſe d' Agoſto, ſopra il qual Tribunale fa publicato à tutti dell' Imperio, como Vincislao era diſmeſſo & privato della Majeſta Imperiale.* Idem Author ibidem ipſam ſententiam, qualibus illa verbis concepta fuerit, refert.

LXXVII. Ex dictis conſtat, quomodo jura majeſtatis ſoli Imperatori non competant, ſed potius Statibus Imperii communicata ſint, ac proinde Status imperii hodiernus Monarchicus nec ſit, nec dici poſſit. Eleganter hæc quaſi in faſciculo complexus eſt *Author Informationis Cauſæ Palatinæ*, cujus verba hâc de re ſunt iſta: *Il ſuffit de ſçavoir, que l' Empire n' eſt pas un Eſtat Monarchique, ou le Prince domine abſolument, & que les Empereurs n' heritent pas leur dignitez & authoritez, ains qu' elles leur ſont conferrées par la main des Electeur, qui lors qu' ils en abuſant, ont pareil pouvoir de les leur oſter, qu' ils ont de les leur donner, ainſi*

que

que cela ſe verifie par les loix fondamentales, & par les exemples de la depoſition par eux faite autre fois des Empereurs par eux esleus; Auſſi ſe trouve il es anciennes letres & documents de la Germanie, que les Empereurs ſont appellez Adminiſtrateurs & Tuteurs ſupremes de L' Empire, dont il s' enſuit, qu' il ne s' en peuvent attribuer la proprieté, nyen diſpoſer abſolument à leur fantaſie; ains qu' ils ſont tenus de rendre conte de leur Adminiſtration.

LXXVIII. Ex modo dictis liquet, quænam majeſtas Imperatoris in noſtro imperio ſit, quam cum ſæpenumero vacante imperio ad certos nominatosque Vicarios Imperij tranſire videamus, conſequens eſt, ut nonnihil de eorum poteſtate, quando iidem ſcilicet eam exercere poſſint, quæque tandem illa ſit, ſubjiciamus.

LXXIX. Quotieſcunq; igitur contingit vacare imperium, ſive morte Imperatoris, *per clar. text. A. B. Caroli IV. tit. 5.* ſive reſignatione vel abdicatione imperii, *Buxdorff. in Diſſertat. ad A. B. Concluſ. 54. Marquard. Freher. in notis ad Petr. de Andlo lib. 2. de Roman. Imper.* ſive etiam abſentiâ ejusdem, *A. B. d. l. Carpzov. de L Regiâ German. cap. 11. Sect. 14. Arum. in diſcurſ. 3. ad A. B. Concluſ. 31. & de Comitiis Imperii c. 7. n. 15.* (vide confirmationem Vicariatus factam Electori Palatino à Maximiliano I. Imperatore apud *Goldaſtum part. 1.* Der Reichs Satzungen *fol. 241.* ibi: daß wir jhm das Vicariat Ampt und Gerechtigkeit / ſo ſeine VorEltern / wann das Reich vaciret, oder ein Römiſcher Keyſer oder König über das Gebirge gezogen / nach inhalt der der güldenen Bulle / und weyland Keyſer Carls brieff gehabt und hergebracht hetten / & p. 243. verbis: wegen ſeiner ererbten privilegirten Gerechtigkeit) toties ad vicarios imperii Sereniſſimos ſciliçet Electores Palatinum & Saxonem, de omnibus incidentibus negotijs cognoſcendi & decidendi poteſtas tranſit.

LXXX. Hi ipſi Vicarii Imperii omnia ea exercere

poſſunt tempore Vicariatus ſui, quæ ipſe Imperator, exceptis Feudis majoris dignitatis ſive regalibus der Fürſten Fahnen Lehen/quorum inveſtitura ſoli Imperatori & Regi Romanorum reſervatur, *A.B.d.cap.5.* R.A. zu Wormbs *de Anno 1521.* §. ob auch Sachen fürfielen. *Ordin. Camer.part.2.tit.7.* quæ exceptio, confirmat regulam in caſibus non exceptis. In ſpecie igitur poſſunt Vicarii Imperii. *(1.)* monetam cudere. *A.B.cap.5.* Ita Johannem Gregorium Saxonem & Johannem Palatinum in vicariatu ſuo monetas fabricaſſe conſtat, & tempore Maximiliani I. Anno 1507. Fridericum Saxonem Imperii Vicarium monetas cudiſſe refert *Georg.Becht.de ſecur. Concluſ.156.* neque dubito, quin quiſq; in ſuo vicariatus tractu jus illud concedere queat. Vicarius enim generalis omnia facere poteſt, quæ principalis, niſi quæ in veniuntur prohibita, per ea, quæ poſt *Gutier. 2. practic.quæſt.17.n.15.* latè tradit *Buxdorff. in diſſertat. ad A. B. concluſ.71.& ſeqq.* (2.) Conferre poſſunt Regalia, maximè de conſuetudine, *Th.Michael.de Iuriſdict.Concluſ.29.lit.e. Cuman.conſil.158. Choppin. 2.de doman.9. n 9.* (3) juramenta fidelitatis vice ſacri ſacri imperii recipere *A.B.tit.5.* (4.) ad ipſos ſpectat privilegiorum confirmatio. De vicariatu Ludovici Barbari, qui & Pius dictus (qui Ruperto Cæſare exercitum in Italiam ducente, anno MCCCCI. vicariatum tenuit) id tradit *Freherus Origin. Palatin.cap.15.pag.110.* (5.) Legitimare poſſunt ſpurios; tùm quia Vicarius tantùm poteſt, quantum is cujus vices ſuſtinet per *l.1.§.4.D. de Legat.3. l.2.C. de offic. ejus qui vic. alter judic. obtinet*, tùm quia *tit.5. A. B.* excipitur tantùm collatio regalium Feudorum, dero Fürſten Fahnlehen. *(6.)* Nec à Vicariis Imperii, eorumque prolatis ſententiis appellatur. Ratio eſt, quia à vicario, ad eum cujus eſt vicarius non appellatur, cum utriuſque idem ſit tribunal, *Cap. Romana 3. de Appellat. in 6.*

l.1.&

Digitized by Google

l. 1. & 2. C. de offic. ejus cui vic. mil. jud. Sigismund. Scacc. de Appellat. quæſt. 8. num. 61.

LXXXI. Cæterum & Imperator vigore Capitulationum aſtrictus eſt, ea omnia, quæ inter regni tempore à Vicariis Imperii geſta ſunt, modò tamen legitimè geſta ſint, approbare, eaque rata habere. Vide Capitulat. Caroli V. apud *Sleidan. lib. 1.* ibi: quod inter regni tempore Palatinus atque Saxo publicè egerint, ratum habeat. *Capitulat. Ferdinandi III. art. 38.* verſiculo: Auch nicht zugeben/ daß die Vicariaten, unnd deren jura, ſambt was denen ſelben anhengig/ von jemand diſputiret, und beſtitten werden.

LXXXII. Tantum de Imperii Vicariis: reſtat, ut colophonis loco pauca de ipsâ Cameræ imperialis poteſtate ac jurisdictione adjiciamus. Ex præcedentibus, & præprimis ex theſi 69. conſtare poterit, quomodo Duces & Comites juriſdictionem ſibi delegatam, & quam precariam antea habebant, tanquam hereditariam vindicarint. Maximilianus igitur primus, ſecutus rationem temporum, quibus attenuata Imperatoris poteſtas legum ac judiciorum ſeveritate aſtringenda videbatur, ut in medio adverſus vim & injuſtitiam præſidium & aſylum eſſet, univerſale imperii Dicaſteriũ conſentientibus Electoribus, Principibus, & Ordinibus reliquis, in publico Wormaciæ indicto Conventu Anno 1495. inſtituit, conſtitutis 16. aſſeſſoribus, quibus deinde alii ſuperadditi, ut *ex decretis Comitiorum de Anno 1507. 1517. 1530. 1548. 1557. ut & ex Inſtrumento pacis §. 20:* (in quo numerus Aſſeſſorum uſque ad 50. auctus) apparet.

LXXXIII. Hoc ipſum judicium Camerale, cum non à ſolo imperatore ſed & ſtatibus Imperii, ſuam acceperit authoritatem & jurisdictionem, ſequitur præmemoratum laudatiſſimum judicium, tum Imperatorem, tum Status Imperii repræſentare, Idque ſatis probatur ex *Memoriali de*

Anno

Anno 1570. & idem ex Ciſnero refert Author der kurtzen Außführung/daß Chur und Fürſten nicht ſchuldig in allen und jeden Sachen am Keyſerlichen Hoffe zu Recht zuſtehen *ratione ſecundâ ibi*: daß ſie die Beyſitzer neben dem Herrn Cammer-Richter die Keyſerliche Majeſtät. Chur und Fürſten/ und alle Stände des heiligen Römiſchen Reichs repræſentiren. Et quamvis initio Imperator & Præſidem & Aſſeſſores conſtituerit, tamen id tùm conſentientibus Imperii Ordinibus factum, mit raht und willen der ChurFürſten/ Fürſten ꝛc. *Ordin. Camer. de Anno 1495. tit.* Wie das Cammergerichte mit Richtern ꝛc. tum id deinceps mutatum ita, ut Aſſeſſores omnes ab Ordinibus præſentarentur. *Ordin. Camer. de Anno 1507. in princ.* quin quod quoad reformationem Cameræ omnes ordines, certos hinc Commiſſarios mittere ſoleant, non tantum ordinariè & annuatim, *Ordinat. Camer. de Anno 1507. §.* damit ſich unſer Königlich *Ordinat. de Anno 1521. tit.* Wie das Cammergerichte viſitiret &c. item *de Anno 1533. & Anno 1555.* ſed & extraordinariè, *Ordin. Cam. de Anno 1542. in pr.* Alß wir R. A. de Anno 1542. *§.* Und alß das Cammergerichte verſic. Und ſeynd von gemeinen ſtänden.

LXXXIV. Camerale judicium igitur, cum non à ſolo Imperatore ſuam obtineat poteſtatem ac jurisdictionem, quemadmodum theſi præcedenti demonſtravimus, conſequens eſt, eundem ſine Statuum Imperii conſenſu jurisdictionem Cameræ revocare non poſſe, cum illorum conſenſu data ſit, mit raht/ zu thuen/ und Vergleichung bemelter ChurFürſten/ Fürſten/ und Stende *in proœm Ordinat. Camer. de Anno 1555.* R. A. *de Anno 1548. §.* Und nach dem wir. ibi: mit raht und bewilligung das ChurFürſten/ Fürſten/ und gemeiner Stende. Idem repetitum in Comitiis Imperii de *Anno 1570. teſtante Receſſu de d. Anno 1570.* nec cauſas in Camerâ cæptas avocare Imperator poteſt, *Ordinat. Cam. part. 2. tit.*

2.*tit.35.Ordin Camer.* zu Wormbs tit. daß dem Cammergerich-te ſein freyer ſtarcker lauff gelaſſen werde / quia per modum contractus in Ordinationem Cameræ conſenſit ideo ad ejus obſervantiam omnino, etiam de jure civili tenetur, per ea quæ tradit *Gail.pract. obſerv.lib.1.Obſ.41.text. in l. digna vox 4.C. de LL. & ibi Dd. l.ex imperfecto 3. C. de teſtament.* & ita Camera habet ordinariam juriſdictionem ab ordinatione Cameræ, quæ legis vim obtinet *text. in l.1. D. de Conſtitut. Princip.* Neq; nobis obſtat authoritas *Berlichÿ, viri alioquin Clariſſimi Deciſ. 158.* pro Cæſareâ à Camerâ imperiali avocandi libertate reſpondentis, contrariam enim omnino ſententiam exhibet *Ordinat. Cameræ part.2. Tit.35. cujus verba ſunt.* Nach dem die Keyſerl. Maj. vermöge hiebevor auffgerichteten Reichs Ordenung / ſambt Churfurſten / Fürſten / und Ständen bewilligt und zugeben / daß dem Keyſerlichem Cammergerichte unverhindert einiger Reſtitution, Supplication, Avocation, oder anderer ſuſpenſion unnd auffſchlag ſein freyer ſtarcker unverhinderter lauff gelaſſen / und darwieder nicht gegeben werden. Accedit hiſce, quod judicium Cameræ non à Cæſare ſolùm, ſed etiam Imperii Statibus conſtitutum: & hanc ſententiam quoque amplectitur rerum Cameralium ſcientiſſimus *Gailius Pract. Obſerv. lib.1. obſerv.41.* quem ſequitur *Reincking. de R. S. & E. lib.2. Claſſ.2. cap.14.* & quare Imperator *in Ordin. Camer.part.2. Tit.7.* cauſas majorum feudorum ſibi reſervaſſet, ſi ipſi ſe in Cameralia negotia intromittere integrum foret? jam verò reſervatio unius abdicationem cæterorum inducit.

LXXXV. Fundata eſt juriſdictio Cameræ in omnibus Imperii civibus & Statibus, qui Cæſaris juriſdictioni ſubſunt. *Ordin. Camer. part.2. tit.7.* etiam Electoribus R. A. de Anno 1548 §. folgends aber circa finem, ibi. Und ſollen Churfürſten / Fürſten / und Stände ſolchem unſerm Cammergerichte gehorſamb leiſten.

LXXXVI. Cauſæ ad Cameram imperialem devolvuntur vel per ſimplicem querelam, vel per appellationem, & ut nihil de cauſis, quæ per ſimplicem querelam eò pertinent dicamus, quod cauſas per appellationem ad Cameram ſpectantes attinet, in omnibus omnino Conſtitutionibus imperii appellationum cauſæ ad Cameram ablegantur. *Ordin. Camer. part. 2. tit. 27.* ideoq; judicium Camerale vocatur die höchſte Juſtitz in R. I. de Anno 1531. §. ferner Imo jam olim, cum poſt Cameræ inſtitutionem cauſæ in conſilio aulico ventilarentur Anno 1502, & 1503. Status Imperii ſe vehementiſſimè oppoſuerunt.

LXXXVII. Camera Imperialis igitur de omnibus omnino cauſis, præter controverſias de feudis imperii exortas, quarum deciſionem Imperator ſibi reſervavit cognoſcit, *Ordinat. Camer. part. 2. tit. 7.* vide *Roding. in Pandect. Cameral. lib. 1. tit. 17. §. 7. Roſenth. de Feud. c. 12. concl. 1. n 39. parentem meum dilectiſſimum in Lectionibus feudalibus cap. 9. pag. 71. & 72.* niſi ſint (1.) cauſæ ſpirituales & eccleſiaſticæ quæ ad Cameræ juriſdictionem non pertinent, per ea, quæ tradit *Mynſ. 1. obſerv. 10.* Vid. *Ordin. Camer. part. 2. tit. 1. cap. 2. & 3. X. de judiciis Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 12. Weſenb. conſil. 210. n. 25. lib. 5. Vincent. Caroc. Decis. 136. num. 1.* nec ad eam per appellationem devolvi poſſunt, uti teſtantur viri praxeos Cameralis experientiſſimi, *Mynſing. cent. 1. obſerv. 100. Gail. lib. 1. obſerv. 38. num. 1. 2. 3. & ſeqq. Adrian. Gylmann. in Symph. Supplic. tam. 1. part. 1. tit. 3. n. 2. pag. 187. Thom. Michael de Juriſdict. concluſ. 39. Reinking. d. R. S. & E. lib. 2. claſſ. 2. cap. 14.* Inter cauſas ſpirituales Canoniſtæ referunt juramenti quæſtionem, quam cognitioni eccleſiaſticæ ſubjacere, tanquam rem ſpiritualem conſcientiam & animam concernentem. *T. T. X. & in 6. de Jurejur. cap. 13. X. de judic.* (imprimis ſi agatur de abſolutione juramenti ad effectum agendi *cap. 18. cap. 15. X. de Jurejur.*) tradunt.

dunt. Nos hodie, vi ſuſpenſæ juriſdictionis eccleſiaſticæ quin jure circa ſacra competente, poteſtatem abſolvendi à juramento, rectè exercere Principes, Status Imperij, & Cameram imperialem affirmamus. R. A. de Anno 1555. §. Vnd ſollen die jenigen/ ſo in denen Kreyſen &c. & §. Vnd ſollen in dieſen beyden Verordnungen. *Ordinat. Camer. part. 2. tit. 24.* von *Relaxation* der Eyde. Vid. *Conſtitut. EL. Auguſti 36. p. 2. ibiq; Moll. Mynſing. cent. 3. obſerv. 99. Zanger. de Exceptionib. p. 3. cap. 1. n. 428. & ſeqq. Cran. de pace Relig. p. 1. problem. 7. Conſtitut. Sax. part. 1. quaeſt. 4. n. 13. & ſeqq. excellentiſſimum Dn. D. Gotfridum Suevum Profeſſor. Witteberg. patronum & praeceptorem noſtrum colendum propoſit. 4. theſium ſecularium ad Pac. Relig. de Anno 1555. th. 8.* Idem hodiernâ obſervantiâ obtinere in Controverſiis de uſuris, de quibus ut plurimùm cognoſcit index ſecularis ſtatuimvs, R. A. de Anno 1500. 1530. 1548. rubr. Von Wucher unnd wucherlichen Contracten, ibi: Allen Richtern geiſtlichen und weltlichen. Vide *Dn. Carpzov in Jurisprud. conſiſt. lib. 3. tit. 5. def. 2. num. 16. & ſeqq.* Mixto foro cognitionem de quæſtionibus uſurariis tribuunt *Cacheran. decis. 137. n. 10. Molin. de Vſur. quaeſt. 10. num. 55. adde Reincking. de R. S. & E. lib. 3. claſſ 1. cap. 10. n. 49.* (2) cauſæ matrimoniales, in quibus appellationes in Camerâ non recipiuntur, quia in cauſis hujuſmodi, quaſi ſpiritualibus Cameræ juriſdictio non eſt fundata. *Viſitat.* Abſcheid *de Anno 1570.* ac ideo, quando in Camerâ quæſtio præjudicialis incidere ſolet, ratione ſubſtantialium matrimonii, tunc cauſa cum omnibus incidentibus quæſtionibus ad competentem indicem eccleſiaſticum remittitur per ea, quæ tradit. *Reincking. de R. S. & E. lib. 3. claſſ. 1. cap. 10.* Ita factum in Camerâ Anno 1531. 30. Septemb. in cauſâ Baalen contra Humpetſch & in Anno 1559. 19. Martii in cauſâ Abbatis de Eimpurg contra Johannem Walborn. Ex capite tamen nullitatis in cauſis matrimonialibus proceſſus decre-

tos, utputa Citationem, Compulſoriales, & inhibitionem, refert *Auctor. Decis. verb. matrimonium.* (3.) In Camera imperiali non admittuntur appellationes in Criminalibus. *Gail. practic. obſerv. lib. 1. obſerv. 1. n. 27. Mynſing. in obſervat. cameræ cent. 2. obſervat. 98. num. 4. Beuſt. in rubr. de jurejurando num. 97. Receſſ. Comitior. Auguſtanor. de Anno 1530.* §. *Item* alß jeß etzlich Zeit *Ordinat. Imper. Camer. part. 2. tit. 28.* §. *Item* nach dem auch *ubi dicitur ex conſuetudine Germaniæ hoc obtinere, ibi.* dem alten hergebrachtem Gebrauch im heil. Reich zu wieder. Conſentit & jus Saxonicum Landrecht *lib. 1. art. 12.* Hujus rei rationes aliquot adducit *Rutger. Ruland. de commiſſ. p. 1 lib 7. cap. 3. n. 4.* Ratio nobis videtur illa eſſe, quod in criminalibus non recipiantur appellationes in Camerâ, ne ſcilicet propter proceſſus diuturnitatem rei in carceribus torqueantur, quod iniquum, per *Ordinat. crimin. Caroli V. art. 11.* §. So Kläger vel proceſſu pendente aut evadant, aut moriantur in cuſtodiâ, adeoque pænam legis ordinariam evitent. Recipiuntur quidem cauſæ criminales in Camerâ imperiali, aſt non titulo appellationis, ſed per nullitatis querelam. *Receſſ. Imper. Auguſt. de Anno 1530.* §. item als jetzo. *Ordinat. Camer. part. 2. tit. 28.* §. item nach dem auch. verſic. doch da ſich jemand an dem Cammergerichte. Vide *Mynſing. 4. obſervat. 41. Gail. lib. 1. pract. obſervat. 1. n. 28. Treutl. vol. 2. Diſp. ult. th. 3. lit K. Sebaſtian. Næv. in Syſtemat. jur. vol. 2. ad l. 6.* §. *ſuper his vero 3. C. de appellat. pag. 340. eundem ad l 6. C. de epiſcop. audient. pag. 24.* Non tamen facile inhibetur judici ordinario propter hanc querelam, niſi notoria ſit nullitas, uti præjudiciis oſtendit *Rutg. Ruland. de commiſſ. part. 1. lib. 2. cap. 3. n. 2.* & teſtatur hoc expreſsè *all. Ordinat. Cam. d. part. 2 tit. 28.* §. item nach dem verſ. und alſo nichtiglich.

LXXXVIII. Judicium hoc Camerale totius imperii, (quomodo differt à judicio Cæſaris Rotvvilenſi, quod ſolummodo reſpicit Alſatiam, Briſgoiam uſque ad Rheni tractum,

ctum, alioquin ab hoc judicio appellatur ad Cameram. R. A. de Anno 1570. §. Und nach dem uns vorkommen) cum ſit ultimum ac ſupremum in imperio noſtro judicium R. A. zu Augſpurg de Anno 1530. § dieweil dann unſer Cammergerichte das oberſte und letzte Gerichte / conſequens eſt ab eo appellari nonpoſſe. d. Receſſ. de Anno 1530. §. dieweil nun *Ordinat. Camer. part. 3 tit. 51. §.* Wir ordnen ibi: daß von denen urtheilen am Keyſerlichem Cammergericht ergangen und außgeſprochen kein theil weiter zu appelliren oder zu ſuppliciren macht haben ſoll. Ne tamen Præſes & Aſſeſſores Cameræ imperialis hâc ſuâ poteſtate abuterentur, & ſententias pro lubitu, etiam interdum iniquas proferrent, intereſſe Reipublicæ Germanicæ Imperator, Electores, Principes, ac cæteri Status imperii exiſtimarunt, huic malo occurrere, conſtitutum itaque judicium Reviſorium, ad quod ii, qui per iniquitatem aut negligentiam Aſſeſſorum læſos ſe exiſtimarent, provocare, & reviſionem petere poſſent, *Ordinar. Camer. part. 3. Tit. 51.* ibi: Ob aber einige Parthey ſich durch die Urtheil des Keyſerlichen Cammergerichts beſchwert zu ſeyn vermeinet / dem ſol gegen Cammerrichter unnd Beyſitzern den Weg der gemeinen Recht / unnd hernach geſetzter Ordnung von der Reviſion und Syndicat fürzunemen zugelaſſen und vorbehalten ſeyn.

LXXXIX. Reviſionem definimus cum Bendero *in tract. de Reviſionibus concluſ. 1.* quod ſit remedium extraordinarium, quo ex quâdam benignitate & clementiâ, in Camerâ læſis per Commiſſarios Imperatoris & ſtatuum imperii ad id deputatos ſuccurritur adverſus ſententiam, ſine dolo non tamen ſine errore & culpâ latam.

XC. Petiturus Reviſionem, eodem quo ſententia lata eſt anno debet id ipſum Electori Moguntino, tanquam S. Imperii Cancellario duobus menſibus ante Calendas Maii.

 Ordinat.

Ordinat. Camer. part. 3. tit. 53. §. 1. quod tamen duorum menſium ſpacium Anno 1557. per Viſitatores Cameræ ex arduis cauſis ad trimeſtre prorogatum R. A. zu Regenßburg *de Anno 1557. §.* Wiewol ferner inhalt / ibi: Vnd die Zeit in dieſen fällen biß auff 3. Monaht zuerſtrecken ſey. Hodie verò pro noviſſimum Imperii Receſſum de Anno 1654. id tempus ad quatuor menſes extenſum *d. Receſſ. Imperij de Anno 1654. §.* in fällen denunciare, & quidem in ſcriptis. *Ordinat. Camer. p. 3. tit. 53.* ibi. Das Sie ſolches unſerm Neben ꝛc. zu jeder zeit in Schrifften zuerkennen geben/ ut Elector Moguntinus eam Cæſari vel Regi Romano, & ejus anni viſitatoribus denunciare poſſit, qui Commiſſarios & Conſiliarios ſpectabiles & peritos revidendis actis mittant. *Ordinat. Camer. part. 3. tit. 53.* Quod ſi ipſe Elector Moguntinus, aut alius contra ipſum Reviſionem petat, Elector Trevirenſis adeundus. R. A. zu Regensburg de Anno 1577. § als uns auch. Idem repetitum in *Receſſu noviſſimo de Anno 1654.* §. in fällen: ibi: oder wann derſelbe (Moguntinus ſcilicet) bey der Sachen intereſſiret bey Chur Trier ausbringen und dem Cammergerichte inſinuiren. (2.) neceſſe habet, qui Reviſionem impetrare cupit, certam pecuniæ quantitatem arbitrio Reviſorum terminandam deponere, quod ſane ſummâ ratione conſtitutum ad obviandum ſcilicet temeritati litigantium. *Ordinat. Camer. part 3. tit. 53. §. 2.* quæ ipſa depoſitio pecuniæ ante inchoatum proceſſum Reviſionis, niſi cauſam Reviſionem petens periclitari velit, requiritur. *Ordinat. Camer. d. l.* ibi: zuvor und ehe ſolche Reviſion fürgenommen. *Johann Thilmann. de Benignu Deciſion. Cam. Imperial. Syntagm. 1. Dec. 5. Vot. 7. num. 12.* Quod ſi reviſionem petens pecuniam, quam deponat, non habeat, loco realis numerationis ſolam idoneam cautionem ac ſatisdationem ſufficere exiſtimamus, *per tit. 53. Ordinat. Camer.* §. Vnd damit ibi: Vnd dafür gnugſamlich verbür-

verbürgen / quid ſi verò petens Reviſionem nec pecuniam deponere, nec idoneam præſtare poſſit ſatisdationem? ad juratoriam cautionem eum admittendum eſſe cum *Gailio lib. 1. obſervat. 115. num. 4. & Bendero tr. de Reviſion. Concluſ. 7.* ſtatuimus, per rationem, quod juſtitia perinde pauperi atque diviti æqualiter ſit adminiſtranda, quin ubi exigitur Cautio talis, peti cenſetur qualis præſtari poteſt, ſecundum *Gloſſam in C. ex parte in verbo pro contumaciâ X. de Verbor. ſignificat.* ad impoſſibile enim nemo obligatur. *L. impoſſibilium 185. D. de Regulis juris.* (3.) qui Reviſionem obtinere deſiderat, demonſtrare neceſſe habet, ſummam pecuniæ petitæ abſque uſuris & intereſſe, 2000. thaler. eſſe, alioquin Reviſio denegatur, quemadmodum in nuperrimis imperii Comitiis de Anno 1654. à Statibus imperii, ſaluberrimè conſtitutum eſt, teſtante *Receſſu imperij de prædicto Anno 1654. §.* zu abkürtzung ibi: zu abkürtzung der vielfeltigen Reviſionen, ſollen / gleich wie ein gewiſſe ſumma appellabilis, alſo auch reviſibilis und zwar auff zweytauſend Reichsthaler Capitals ohne Entrechnung der Zinſe und intereſſe hiemit geſetzet ꝛc.

XCI. Reviſione impetratâ, utrum executio ſuſpendatur, inter JCtos non convenit, quin potius diverſorum opinionibus in utramque partem diſcuſſa eſt hæc quæſtio. Nos affirmativæ ſubſcribimus ſententiæ, per text. in Deputations Abſcheid de Anno 1600. §. als auch Streit fürgefallen. *Ordinat. Camer. de Anno 1555. part. 3. tit. 53. §.* darauff *4. in fine. Vide Gail. lib. 1. obſerv. 154. num. 3. ibique Græv. in Concluſionibus Concluſ. 1. n. 34. Heig. part. 1. quæſt. 10. num. 70. Reincking. de R. S. & E. lib. 2. Claſſ. 2. cap. 15. n. 23.* Hæcq; noſtra ſententia, cum & expreſſis modo adductis textibus & ſanâ ratione confirmetur, mirari ſatis non poſſumus, *Benderum in tract. de Reviſione Concluſ. 20.* ab hâc ſententiâ diſſentire, cum quo

etiam

etiam faciunt *Dn. D. Vulteius Conſil. Marpug. 22. n. 144. vol. 3. Gilhauſen in arb. judic. civil. p. 4. c. 8. n. 26.* quibus demum ſuffragantur, quinque illa in causâ illuſtriſſimi Marchionis Brandenburgici contra civitatem Norimbergenſem conſcripta conſilia, Francoſurti Anno 1589. excuſa. Cæterum Benderi argumenta hic examinare, nimis prolixum foret. Hodie ſanè Reviſionem effectum executionis ſuſpenſivum habere extra omne dubium eſt, ita enim unanimi Imperatoris & Statuum imperii conſenſu in nuperrimis imperii Comitiis deciſum, teſtante Receſſu imperii de d. Anno 1654. §. nach Berahtſchlagung ibi: Wie dann auch in denen künfftigen Reviſionibus, welche in Geiſtlichen oder Religions Sachen geſuchet werden / der effectus ſuſpenſivus noch ſo lange zulaſſen / biß auff bevorſtehendem prorogirtem Reichstag oder anderen Reichs conventen man ſich hierüber ebenmeſſig eines andern vergleichen wird.

Atque hæc ea ſunt, quæ pro temporis ratione de nobiliſſima illa & graviſſima materia, de variis Poteſtatibus Romani & Germanici imperii tùm ſecularium, tùm eccleſiaſticorum magiſtratuum meditari, publicæque luci ſiſtere animus fuit, mihi jam, ne ulterius excreſcat præſens diſputatio, hic ſubſiſtendum, tribuendaque.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

SOLI DEO GLORIA.